AUTHOR:

KRAH, ALFREDUS

TITLE:

DE INFINITIVO SOPHOCLEO...

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

1888

Master Negative #

92-80479-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
SAVE      Books      FUL/BIB   NYCG91-B44727        Search          NYCG-AE
FIN ID NYCG91-B44727 - Record 1 of 1 - SAVE record
+
 ID:NYCG91-B44727          RTYP:b    ST:s    FRN:   MS:   EL:      AD:04-26-91
 CC:9118  BLT:am     DCF:a    CSC:d    MOD:    SNR:     ATC:       UD:10-26-91
 CP:nyu     L:lat    INT:     GPC:     BIO:d   FIC:0    CON:b
 PC:r      PD:1991/1888      REP:a    CPI:0   FSI:0    ILC:       II:0
 MMD:d     OR:?   POL:a    DM:f    RR:a011    COL:b    EML:a     GEN:c  BSE:a
 MMD:d     OR:?   POL:b    DM:f    RR:a011    COL:b    EML:a     GEN:a  BSE:a
 MMD:d     OR:?   POL:b    DM:f    RR:a011    COL:b    EML:a     GEN:b  BSE:a
 035      (NNC)MN91-80078-5
 040      NNC‡cNNC.
 100 1    Krah, Alfredus.
 245 10   De infinitivo Sophocleo‡h[microform] :‡bdissertatio inauguralis quam c
        onsensu et auctoritate amplissimi philosophorum ordinis in Academia Frid
        ericiana Halensi cum Vitbergensi consociata ad summos in philosophia hon
        ores... /‡cscripsit Alfredus Krah.
 260      Halis Saxonum :‡btypis Kaemmererianis,‡c1888.
 300      92 p. ;‡c22 cm.
 502      Inaug. Diss.--Universit_at Wittenberg.
 504      Includes bibliographical references.
 533      Microfilm.‡bNew York, N.Y. :‡cColumbia University Libraries,‡d1991.‡e1
        microfilm reel ; 35 mm.
 583      Filmed;‡fNEH Project (FWC).
```

FILM SIZE: 35mm   REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB


DATE FILMED: 03.12.1992   INITIALS Emilian


FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM


Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202














DE INFINITIVO SOPHOCLEO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA

HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ALFREDUS KRAH
BORUSSUS ORIENTALIS.



HALIS SAXONUM
MDCCCLXXXVIII.
TYPIS KAEMMERERIANIS.

Parentibus optimis

sacrum.



Postquam infinitivi Aeschylei et Euripidei usus dissertationibus*) diligenter et accurate conscriptis tractatus est, non indignum videtur, perquirere quomodo Sophocles, qui inter tres poetas tragicos medium locum tenet et aetate et genere dicendi, infinitivum in fabulis suis fragmentisque, quae ad aetatem nostram pervenerunt, usurpaverit. Priusquam autem ad hanc ipsam rem tractandam aggrediar, facere non possum, quin de formis infinitivi, quae olim in usu fuerint quaeque apud poetas tragicos inveniantur, pauca praemittam.

Ut in unaquaque lingua omnes orationis partes aliis temporibus aliis utuntur formis, ita apud Graecos infinitivus quoque tempore progrediente varias formas induit. Antiquissimas formas inprimis B. Delbrueckius in dissertatione „de infinitivo graeco“ (Halis 1863) p. 2 qq. uberius tractavit. Constat autem inter omnes hasce terminationes statuendas esse:

μεναι, μεν, ναι, ν, ειν (dorice *εν*, aeolice *ην*), *σαι, σθαι.*

Si Homericas infinitivi formas perquisiveris, uberrimam copiam invenies, qua de re conferendi sunt Leo Meyer „der Infinitiv der homerischen Sprache, dissertat. Göttingen 1856“, p. 5 sqq.; G. Englisch de infinitivo homerico, dissertat. Vratislaviae 1867 p. 6 sqq.; Karstens l. l. p. 4 sq. Quae formarum ubertas annis decurrentibus in singulis dialectis paullatim magis magisque imminuta est. Suffixa infinitivi *μεναι* et *μεν* in attica dialecto prorsus perierunt ut iam in Aeschyli tragoediis nullo loco legantur. Karstensius recte exposuisse mihi videtur (p. 5 sqq.) Aeschylum in formis infinitivorum, veterum poetarum ratione derelicta, populi sui consetudinem servasse, coniecturis Dindorfii, qui tribus locis infinitivos *κατακλυσθῆν*,

*) De infinitivi syntaxi Euripidea dissert. Halis 1881 scr. M. Hebold.
De infinitivi usu Aeschyleo diss. Kiliae 1877 scr. I. Karstens.

χριμφθῆν, ἀναδῦν restituendos esse arbitrabatur, qui infinitivi a dicendi genere et Aeschyli et aequalium mirum quantum abhorrent, refutatis reiectisque. Ne in Euripideis quidem fabulis infinitivos aliter conformatos deprehendas atque cum atticis congruentes. Apud Sophoclem autem uno loco obsoletam infinitivi formam inveni, dico infinitivum ἔμμεν, qui legitur Ant. 623.*) Codicum scriptura est ἔμμεν', sed ἔμμεν scribendum esse nunc inter viros doctos constat: cf. Kühner gr. Gram. I. p. 187. Lob. ad Ai. v. 191. Kuehlstaedt de dial trag. p. 26 sqq.

Praeter hanc formam nulla invenitur quae aliena sit a consuetudine populi; sed omnes Sophoclei infinitivi formae in hanc legem, quam Aeschylus quoque et Euripides nullo loco non secuti sunt, referri possunt.

Iam transeunti mihi ad infinitivi Sophoclei syntaxin omnibus exemplis quae exstant et in fabulis servatis et in deperditarum fragmentis illustrandam,**) totam materiam in duas partes ita distribuere aptum visum, ut in priore de infinitivis sine articulo usurpatis disseram, in altera de iis, quibus articulus adiectus est, quae distributio quamquam ab Heboldio l. l. p. 4 plane repudiata est, quod ut iam apud Aeschylum ita apud Euripidem uterque infinitivi usus haud raro sine graviore discrimine significationis invenitur, tamen mihi idcirco apta videtur, quia utile est cognoscere, quibus finibus usus articuli

*) In locis proferendis secutus sum Schneidewini editionem novissimam a Nauckio curatam; in commemorandis fragmentis numeros Dindorfianos inter uncos Nauckianis addidi.

**) De origine infinitivi disserere non est huius loci. Ortas esse infinitivorum formas ex dativis et locativis nunc omnes consentiunt, atque in nonnullis usus infinitivi generibus eam originem cognoscere licet. Cf. praeter libellos supra commemoratos inprimis. Wilhelm de infinitivi linguarum sanscritae etc. forma et usu Isenaci 1872. Jolly Geschichte des Infinitivs im Indogermanischen München 1873. Herzog Jahrb. für Philol. 107 (1873) p. 1 sqq. Delbrück Syntaktische Forschungen IV p. 120 sqq. — Sprottii commentatio „Die Syntax des Infinitivs bei Sophocles. Teil I. Der Infinitiv in seiner ursprünglichen kasuellen Bedeutung (Glatz 1887)“ serius prodiit quam ut in conficienda hac dissertatione ea uti potuerim.

infinitivo praepositi circumscriptus fuerit, id autem nisi exemplis articuli sub uno conspectu propositis facile fieri nequit.

Contra neque necessarium puto neque aptum, accusativum cum infinitivo et nudum infinitivum discernere, quod Heilmannus fecit in dissertatione de infinitivi syntaxi Herodotea (Giessae 1879) conscripta, quam ita instituit, ut infinitivis, qui cum articulo et sine articulo positi sunt, seperatis prius ageret de infinitivo, qui sui iuris est neque ab ullo alio nomine pendet, deinde de eo, qui aliis membris orationis legitur; in hac altera parte prius nudum infinitivum tum infinitivum cum casu nominis pendentem absolvit. Sed in hac dispositione id offendit, quod non omnes accusativi cum infinitivis in istam alteram partem referri possunt, cum sint, qui aut non ab aliis verbis pendeant aut cum articulo coniuncti sint. Praeterea infinitivos subiecti vice fungentes Heilmannus prius in numero eorum ponit, qui sui iuris sunt neque ab ullo alio nomine vel verbo pendent, tum in altera parte accusativos cum infinitivis subiecti munus sustinentes in numerum eorum refert infinitivorum, qui ab aliis membris orationis suspensi sunt. Huc accedit quod persaepe non facile est diiudicatu, utrum accusativus cum infinitivo statuendus sit an nudus infinitivus accusativo ex regenti verbo pendente. Itaque mihi quidem melius videtur, has duas structuras non disiunctis locis tractare.

Pars prior.

De infinitivo sine articulo posito.

Propositum mihi est primum de infinitivis absolute positis agere. Qua disputatione in tres particulas divisa primum disseram de infinitivo iussum aliquod significanti, deinde de infinitivo adverbialiter posito, tum de eo qui in exclamatione adhibitus est.

I. De infinitivo pro imperativo posito.

Infinitivum imperativi loco usurpari, ut iussum, quod

fieri quis velit, exprimatur, notum est.*) Exstant tales constructiones non modo in Homeri carminibus, sed etiam in attico sermone, et apud poetas tragicos et apud Thucydidem, Platonem, Demosthenem; tamen cum ex Homero longe plurima exempla peti possint, poetae tragici tales infinitivos nonnisi paucis locis adhibuerint, hunc usum antiquioribus temporibus vulgatum temporis progressu magis magisque imminutum et exiguis quibusdam terminis circumdatum esse apparet. Homerus infinitivo utitur et pro altera persona imperativi et pro tertia, illud tamen saepius; apud Aeschylum infinitivus quater imperativi alterius personae, semel tertiae munere fungitur; in Euripideis fabulis fragmentisque tales infinitivos non invenies nisi secundae personae partes agentes eosque tribus locis. Apud poetam, in quo nostra quaestio versatur, decem locis infinitivo imperativi vis subiecta est.

Iamiam exempla ipsa in medium proferantur; ac primum infinitivus *φάσκειν* tribus locis pro imperativi altera persona usurpatus est:

Ph. 1411. *φάσκειν δ' αὐδὴν τὴν Ἡρακλέους*
ἀκοῇ τε κλύειν λεύσσειν τ' ὄψιν.

*) Hac igitur forma finis, quem appetere quis cupiat vel quo quis tendat, indicatur; quam eandem notionem cum dativo, quo casu eodem sensu Franco-Galli et Brittanni utuntur, tum casui locativo subesse quis est qui neget? Cf. Jolly p. 132, qui ad talium infinitivorum naturam atque vim explanandam a locativi casus significatione („Zielbedeutung") proficiscitur p. 138. 140. Hunc infinitivi usum ita explicare, ut verbum petendi aut voluntativum animo supplendum esse vel imperativos *ὄρσεο, ἴθι*, alios, quae Meyeri sententia est, ante infinitivum excidisse statuamus, mihi quidem videtur minime opus esse; ne puerorum quidem exemplum ad usum declarandum afferre necessarium est, quoniam hos creberrime infinitivo ad omnia omnino exprimenda uti notum est, sed haec significatio, quae perantiqua est et omnibus fere linguis indogermanicis communis (cf. Wilhelm l. l. p. 90), origine infinitivi explicanda est. In romanicis linguis ut in italica et in antiqua Franco-Gallorum infinitivus imperative dici potest, et in nostra ipsorum lingua infinitivum usurpamus et pro imperativi altera persona et pro tertia maximeque in iussis abruptis velut: „alle herkommen", „drei Mann vortreten", „hierbleiben".

Hercules, qui modo a poeta disputans inductus est, infinitivo *φάσκειν* Neoptolemum eo adducere vult, ut sentiat atque intellegat, se Herculem ipsum coram audire et praesentem videre. *φάσκειν* hoc loco idem fere significat, quod nos dicimus „wisse". Vis verborum *κλύειν αὐδὴν κτλ.* infinitivo isto praeposito valde augetur atque amplificatur, cum poeta simpliciter *κλύεις — λεύσσεις* dicere potuerit.

Similiter usurpatum *φάσκειν* inveni El. 9:

οἷ δ' ἱκάνομεν,
φάσκειν Μυκήνας τὰς πολυχρύσους ὁρᾶν
πολύφθορόν τε δῶμα Πελοπιδῶν τόδε.

Oresti, cui tandem contigit, ut patriam suam, cuius desiderio iamdiu flagrabat, ingrederetur, paedagogus solemnibus verbis pronuntiat, quibus locis oculos pascere nunc liceat. Voce *ὁρᾶν κτέ.* efficitur, ut quasi sentiamus, quomodo Orestes summa admiratione excitatus cogitatione vix fingere possit, se in patria sua ipsa versari.

De huius loci structura aliter iudicat A. Hoehnius in dissertatione „de infinitivo apud graecos classicae aetatis poetas usu qui fertur pro imperativo" (Vratisl. 1867), cum dicit p. 35, paedagogum id putare Orestem iubere non posse, cum nesciat ille, ubi sit; iam v. 2 significatum esse quid sit supplendum

ἔξεστί σοι παρόντι λεύσσειν,

neque orationem ita esse institutam, ut imperativum exspectemus. Ad quod confirmandum affert vir doctus cum alios locos ut Aristoph. Ach. 1566. Astydam. fr. VIII 3, tum Heniochi poetae comici fragmentum, quod Stobaeus nobis tradidit in floril. XLIII, 27 (III p. 563 Mein.)

τὸ χωρίον μὲν γὰρ τόδ ἔστι πᾶν κύκλῳ
Ὀλυμπία· τηνδὶ δὲ τὴν σκηνὴν ἐκεῖ
σκηνὴν ὁρᾶν θεωρικὴν νόμιζέ σε,

ad quem locum adnotat, comicum, si, quod verisimile sit, Sophoclis verba menti eius obversata sint, aliter atque nos locum intellexisse. Si Hoehnius his considerationibus commotus in vulgata loci Sophoclei interpretatione offendit, sententia

eius infirmis argumentis niti mihi videtur. Verba *ὁρᾶν νόμιζέ σε* (vel potius, ut Grotius emendavit, *νομίζετε*), quorum auctori utrum Sophocleus locus observatus fuerit necne in ambiguo relinquo, qua ratione attulerit ad sententiam suam confirmandam, intellegi omnino nequit. Aliquod verbum ex v. 2 supplere prorsus ineptum mihi videtur. Equidem censeo, verba sic intellegenda esse, ut paedagogus magna laetitia percepta ex reditu et aspectu patriae postquam prius inde a v. 4 in universum loca circumiacentia descripsit, nunc locum ipsum nominet, quo pervenerunt, et verbis *φάσκειν ὁρᾶν* Orestem eo adducere velit, ut sibi ipse persuadeat, se in patria sua esse, et ea contemplanda oblectetur. Itaque non percipio quid sit cur infinitivus pro imperativo positus nos offendat, quippe qui hoc ipso loco ad pleniorem quendam sonum orationi addendum notionemque dilatandam plane accomodatus sit. —

Cum in his duobus exemplis infinitivus *φάσκειν* pleonastica quadam vi instructus et formulae certae prae se ferens faciem tantummodo inserviat orationi amplificandae vel ut uni voci singularis vis subiciatur et, nihil omnino novi neque ad sententiam necessarii significans, uberius quam pro sensu opus est, usurpatus sit, in exemplis nunc proferendis idem minime eius modi additamentum est, ut omitti potuerit, sed ad sententiarum nexum plane necessarius est.

OR. 462. *κἂν λάβῃς ἐψευσμένον,*
φάσκειν ἔμ' ἤδη μαντικῇ μηδὲν φρονεῖν.

Elucet hoc loco *φάσκειν* notione nostrum „wisse“ non aequare, ut in illis exemplis, et nequaquam a poeta omitti potuisse.

Post enuntiatum temporale et coniunctione *ὅταν* suspensum infinitivus imperativi significationem induens ad tempus futurum spectat hisce duobus locis:

Ph. 56. *ὅταν σ' ἐρωτᾷ, τίς τε καὶ πόθεν πάρει,*
λέγειν, Ἀχιλλέως παῖς.

Hic Ulixes Neoptolemum monet, ut, si a Philocteta rogetur, quis sit et unde, dicat, se ortum a patre Achille.

Multum abest, ut cum Hoehnio faciam, qui in dissertatione supra laudata p. 35 *δεῖ* ex v. 54 suppleri vult,

quocum versu v. 57 arte cohaereat. Nec minus displicet Blaydesii coniectura, qui *λέξεις* proposuit. Mea sententia in dubium vocari nullo modo potest, quin infinitivus hoc loco prorsus accomodate pro imperativo dictus sit. Nam compares quaeso hoc exemplum cum exemplo e fabula Electrae petito, quod p. 9 attuli; ut ibi v. 9 infinitivo *φάσκειν* paedagogus ab universa expositione transgreditur ad describendum atque praedicandum id quod maximum est, ita simili modo hoc loco Ulixes postquam vv. 54 sq. Neoptolemo in universum quae agenda sint praescripsit, nunc infinitivo *λέγειν* transit ad singula.

In eadem fabula legitur v. 1079:

νὼ μὲν οὖν ὁρμώμεθα,
ὑμεῖς δ', ὅταν καλῶμεν, ὁρμᾶσθαι ταχεῖς.

Hoc loco, ubi Neoptolemus comites cohortatur, ut celeriter abeant, infinitivo coniunctivus, qui et ipse hortationem ad proficiscendum complectitur, praecedit; praecedit etiam imperativus *μείνατε* v. 1075.

Hoc exemplum ob eam quoque causam dignum est, ad quod animum attendamus, quod hoc uno loco infinitivus pro imperativi numero plurali usurpatus est et praeterea subiectum, quod casu nominativo utitur, exhibet.

In OR. vv. 1462 sqq. scriptum invenimus:

ταῖν δ' ἀθλίαιν οἰκτραῖν τε παρθένοιν ἐμαῖν,
αἷν οὔποθ' ἡμὴ χωρὶς ἐστάθη βορᾶς
τράπεζ' ἄνευ τοῦδ' ἀνδρός, ἀλλ' ὅσων ἐγὼ
ψαύοιμι πάντων τῶνδ' ἀεὶ μετειχέτην,
αἷν μοι μέλεσθαι· καὶ μάλιστα μὲν χεροῖν
ψαῦσαί μ' ἔασον κἀποκλαύσασθαι κακά.

Subsequitur infinitivum *μέλεσθαι* verus imperativus *ἔασον*, praecedit coniunctivus *προσθῇ* v. 1460.

Nonnulli editores offenderunt in pronomine relativo *αἷν*; Nauckius hunc versum pro spurio habet, Brunckius et G. Wolffius ex deterioribus codicibus *ταῖν* substituerunt.

Verba *ταῖν ἀθλίαιν τε κτλ.* ex *προσθῇ μέριμναν*, quod Elmsleius ex v. 1460 suppleri vult, pendere non credo, sed assentior Dindorfio, qui (quamquam *αἷν μοι* omitti

debuisse censuit) tamen traditam scripturam recte ita expedivisse mihi videtur, ut verba *ταῖν ἀθλίαιν παρθένοιν μέλεσθαι* cohaerere et pronomen *αἶν* propter longiorem sententiam interpositam esse additum doceret.

Et imperativi et infinitivi eorum locum obtinentes promiscue confunduntur illo loco fabulae OC., ubi chorus Oedipodi accurate describit sacra quomodo Eumenidibus facienda sint; tres tales infinitivi his versibus inveniuntur:

481. *μηδὲ προσφέρειν μέθυ.*
484. *τρὶς ἐννέ' αὐτῇ κλῶνας ἐξ ἀμφοῖν χεροῖν*
τιθεὶς ἐλαίας τάσδ' ἐπεύχεσθαι λιτάς.
490. *ἔπειτ' ἀφέρπειν ἄστροφος.*

Praegrediuntur imperativi, qui ipsi quoque ad sacra facienda pertinent *θοῦ* v. 466. *ἐνεγκοῦ* v. 470. *ἔρεψον* v. 473; medius inter illos infinitivos exstat imperativus *αἰτοῦ* v. 488.

Hi versus etiam idcirco memorabiles sunt, quod duobus locis nominativi participii *τιθείς* v. 484 et adiectivi *ἄστροφος* v. 490 infinitivis praedicative adiecti sunt.

Denique unius loci commemoratio facienda est, ubi in sollemni supplicatione infinitivus imperativi loco positus est, qui usus apud alios scriptores frequentior est:

Ant. 1140. *καὶ νῦν ὡς βιαίας*
ἔχεται πάνδαμος πόλις ἐπὶ νόσου
μολεῖν καθαρσίῳ ποδὶ παρνασίαν
ὑπὲρ κλιτὺν ἢ στονόεντα πορθμόν.

Cum in omnibus supra allatis exemplis infinitivo praecedat aut imperativus (OR. 462. OC. 481. 484. 490. Ph. 1080. 1411. ubi v. 1409 imperativus facile intellegitur ex antecedenti versu) aut coniunctivus imperativi vi instructus (OR. 1466) aut verbum aliquod significatione imperativum aequans (ut *δεῖ* Ph. 54. *ἔξεστι* El. 2), hoc postremum exemplum solum ex omnibus infinitivum praebet nudum; cuius modi exempla apud Aeschylum duobus locis inveniuntur, quorum altero infinitivus aeque atque hoc Sophocleo loco deorum implorationem complectitur. Apud Euripidem omnibus tribus locis imperativi proxime antecedunt.

Negationem si quae in talibus constructionibus locum habet particula *μή* (OC. 481) exprimi per se patet.

Vidimus igitur, apud Sophoclem decem locis infinitivum imperative dictum legi, eumque novem pro numero singulari, uno pro plurali omnibusque pro altera persona; tertiae personae partes infinitivus apud poetas tragicos non suscipit nisi apud Aeschylum uno loco Cho. 613.; pro numero plurali idem infinitivum ter adhibuit, Euripides semel.

Quod ad subiectum infinitivi attinet, id uno Sophocleo loco (Ph. 1080 *ὑμεῖς*) additum est et duobus locis (OC. 484. 490) mente supplendum est ad praedicatum in casu nominativo positum. Apud Euripidem semel (Tro. 424). subiectum (*σύ*) legitur, duobus aliis locis participia infinitivo praedicative adiuncta sunt, quae et ipsa utuntur casu nominativo. Aeschylum semel (Choe. 613) accusativum cum infinitivo, quia tertia persona subiecti partes agat, adhibuisse et semel nominativum participii pro praedicato adiecisse Karstensius docet p. 4 sq.

Si ad tempora in his constructionibus usurpata respicimus, usum infinitivi praesentis praevalere in aperto est, cum apud Sophoclem uno tantummodo loco infinitivus aoristi inveniatur; Aeschylus bis eodem tempore usus est, cum apud Euripidem nullum omnino aliud tempus legatur nisi praesens. Cum ita res sese habeat, Ellendtio assentiri non possum, qui uno loco infinitivum perfecti passivi generis cum iis locutionibus, de quibus adhuc disserui, in uno eodemque ordine constituit. Codices enim Ant. 203 sqq. haec praebent:

τοῦτον πόλει τῇδ' ἐκκεκηρύχθαι τάφῳ
μήτε κτερίζειν μήτε κωκῦσαί τινα
ἐᾶν δ' ἄθαπτον κτλ.

In forma *ἐκκεκηρύχθαι* accentu acuto in circumflexum mutato, Ellendtius in lexico Sophocleo p. 225 (s. *ἐκκηρύσσω*) infinitivum *ἐκκεκηρῦχθαι* pro imperativo positum esse arbitratur „hunc ne quis sepeliat iussum esto.“ Quae interpretatio mihi non modo ob eam causam displicet, quia neque apud Sophoclem neque apud alios poetas tragicos ullum reperitur exemplum, qudo infinitivum perfecti aut infinitivum passivi generis

imperative dictum exhibeat, sed etiam idcirco, quod adduci non possum, ut Sophoclem infinitivum pro imperativi tertia persona usurpasse credam, cuius usus exempla et apud Euripidem et apud Sophoclem, ut paullo ante dixi, frustra quaeras. Quas ob causas hoc loco infinitivum pro imperativo positum esse negandum puto. Alii interpretes aliam ingressi sunt viam ad hunc locum expediendum. Infinitivus ἐκκεκηρῦχθαι ex quo verbo pendeat, non potest intellegi, cum per sensum non liceat, eum cum λέγω v. 198 construere, quod scholiasta vult. Ne Nauckii quidem coniectura multum habet probabile, qui τάφῳ in λέγω commutavit, quae ratio emendandi a librorum scriptura longius recedit, quam quae comprobari possit. Alii pro tradito ἐκκεκηρύχθαι scripserunt ἐκκεκήρυκται, quae Musgravii et Dindorfii sententia est. Improbo hanc interpretationem, quod me iudice imperativus solus convenit verbis Creontis, qui Polynicis mentione illata commotus atque concitatus est. Potest autem imperativus facillime restitui, si in tradita forma ἐκκεκηρύχθαι nihil aliud commutamus nisi terminationem αι in ω. Imperativus ἐκκεκηρύχθω, quem nunc habemus, optimam praebere sententiam nec quicquam offensionis habere mihi videtur.

Nonnulli alii quoque loci hac in parte disputationis tractandi sunt, ubi interpretes quidam infinitivum pro imperativo positum statui volunt. Ac primum mihi disserendum est, de vv. OR. 1528 sq., quos libri sic exhibent:

ὥστε θνητὸν ὄντα κείνην τὴν τελευταίαν ἰδεῖν
ἡμέραν ἐπισκοποῦντα μηδέν' ὀλβίζειν, πρὶν ἂν κτέ.*)

Fellmannus, qui ex omnibus interpretibus unus lectionem traditam servare studet, in dissertatione, quae nuper in lucem prodiit „de ὡς, ὥστε particulis consecutivis earumque apud tragicos Graecorum poetas vi et usu" (Vratislaviae 1883) p. 61 infinitivum ὀλβίζειν imperativi loco usurpatum accipit et verba sic iungi vult: ὥστε μηδένα ἐπισκοποῦντα τὴν τελευταίαν ἡμέραν ἰδεῖν ὀλβίζειν („itaque nemo, qui ad diem supremum respicit beatum praedicato mortalem priusquam . . ."). Cui viro docto

*) Ritterus vv. 1524—1530 a Sophocle abiudicandos esse putavit.

non astipulandum mihi videtur, cum, praeterquam quod mihi persuadere non possum, Sophoclem post particulam ὥστε infinitivo imperativi vim subiecisse, difficultates, quas infinitivus ἰδεῖν praebet, interpretatione ista non removeantur. Sensu enim flagitatur loco verbi ἰδεῖν vox aliqua, quae significat „oportet." Qua de causa interpretes ad varias mutationes traditae scripturae confugerunt: Stanleius ἔδει legi iussit, Seyffertius δέον, quod G. Wolffius recepit. Nauckius χρεών substituendum censuit, quam sententiam Dindorfius secutus est, aut θέμις; Const. Matthiaeus Qu. Soph. p. 36 γε δεῖν coniecit, quae postrema emendatio in Ellendtii lexico Sophocleo s. δεῖ comprobatur. Haec correctio mihi quoque ob eam causam placet, quod minime omnium a codicum scriptura recedit et particula γέ ad sententiarum nexum optime quadrat. Sed equidem cum Hartungio indicativum δεῖ praeferam, cum hoc loco post ὥστε infinitivum non exspectemus. — Si huius fabulae extremos versus cum vv. Eur. Andr. 100 sqq. comparamus, ubi legimus:

χρὴ δ' οὔποτ' εἰπεῖν οὐδέν' ὄλβιον βροτῶν
πρὶν ἂν θανόντος τὴν τελευταίαν ἴδῃς
ὅπως περάσας ἡμέραν ἥξει κάτω,

haud scio an suspicari liceat, his Euripideis versibus fieri potuisse, ut illud ἰδεῖν in Sophocleam fabulam irreperet.

Duobus locis Delbrueckius in dissertatione supra laudata p. 21 infinitivum imperativi personae alterius partes agere censet: OC. 1347, ubi apud Nauckium sic legimus:

τὸν ἄνδρα τοῦ πέμψαντος οὕνεκ', Οἰδίπου,
εἰπὼν ὁποῖα ξύμφορ', ἔκπεμψαι πάλιν.

Nonnullorum codicum scripturam ἐκπέμψαι retinet Delbrueckius iudicatque poetam hoc infinitivo aoristi activi generis usum esse ad hortationem significandam. Quod vir doctus non recte fecisse mihi videtur, cum formam medii ἔκπεμψαι, quam codex Laurentianus exhibet omnesque fere editores in textum receperunt, hic aptiorem esse arbitrer utpote quae respondeat latinae voci „dimitte hinc abs te" et nostrae „schicke ihn von dir fort."

Alter locus, ubi ex Delbrueckii sententia infinitivus imperativi locum obtinet, exstat El. 213, quem versum codices ita praebent:

φράζον μὴ πόρσω φωνεῖν.

Sed infinitivum ab imperativo *φράζου*, qui hoc loco significationem latini „cave“ assumpsit, pendere plane perspicuum neque ullo modo infinitivus iussum significans statuendus est.

Denique commemoratio mihi facienda est versuum Antigonae 148 sqq., in quibus ipsis quoque interpretes haeserunt; codices haec nobis tradunt:

ἀλλὰ γὰρ ἁ μεγαλώνυμος ἦλθε Νίκα
τᾷ πολυαρμάτῳ ἀντιχαρεῖσα Θήβᾳ,
ἐκ μὲν δὴ πολέμων
τῶν νῦν θέσθε λησμοσύναν,
θεῶν δὲ ναοὺς χοροῖς
παννυχίοις πάντας ἐπέλθωμεν κτλ.

Pro imperativo *θέσθε* infinitivum *θέσθαι* substituerunt Matthiaeus, Nauckius, alii editores, pronuntiantes hunc infinitivum hortationem continere. Certe falsa est Matthiaei sententia, qui (Griech. Gram. § 445) censet infinitivum pro prima persona coniunct. plural. positum esse, ita ut *δεῖ* subaudiendum sit, quam interpretationem ita defendit ut ad eam confirmandam similia exempla afferat, quae ex aliis scriptoribus deprompta sunt atque ex poetis tragicis, apud quos talem infinitivum non inveniri mihi persuasum est. Ut Matthiaeus mea sententia a vero aberravit, ita ne id quidem probari potest, quod Nauckius proposuit, qui infinitivum *θέσθαι* pro imperativi altera persona positum accipi vult et alio loco arbitratur *χρὴ νῦν θέσθαι* aut cum O. Hensio *πᾶς νῦν θέσθω* legendum esse. Quamquam in codice Laurentiano alterum *ε* formae *θέσθε* ex *ω* factum videtur esse, tamen Dindorfium secutus imperativum *θέσθε* genuinam formam atque rectam puto; neque adversatur metrum: cf. de responsione minus accurata Christ Metrik[2] p. 521—523.

Haec habui, quae de infinitivis imperativi loco adhibitis dicerem; qui cum apud Sophoclem, ut supra demonstravi,

frequentiores sint quam apud Euripidem et Aeschylum, nullum investigavi infinitivum, qui optatum aliquod significet. Talis infinitivus significatione artissime cohaeret cum infinitivis modo tractatis; optatione enim, quae, ut Karstensius p. 13 explicat, imperativus est lenissime pronuntiatus, pari modo atque imperativo finis exprimitur, quem quis appetere velit.*) Huius structurae exempla et apud Homerum inveniuntur nec desunt apud Aeschylum Euripidemque, quorum ille talibus infinitivis quinque, hic duobus locis usus est, quibus omnibus locis accusativus cum infinitivo exstat uno Aeschyleo (Choe. 368) excepto, ubi nominativus subiecti positus est pro accusativo: cf. Karstens p. 14.

II. De infinitivo adverbialiter usurpato.

Adverbialis infinitivus adhibetur ad vim verborum praemissorum restringendam atque leniendam, sive haec moderatio ad totius enuntiati sententiam sive ad unam tantummodo vocem pertinet.**)

Numero horum infinitivorum Sophocles, apud quem eos octo locis inveni, antecedit et Aeschylo et Euripidi, quorum ille ter, hic septies tali infinitivo usus est; apud Homerum nullum exstat huius modi exemplum.

ὡς particula aut anteponitur infinitivo aut omittitur; ille usus apud Aeschylum duobus, apud Euripidem omnibus septem locis exstat; Sophocles particulam quattuor locis annexuit infinitivo, quattuor omisit; quae particula cum in-

*) Quam ob rem hic quoque usus ex nativa infinitivi vi deducendus est, cum rursus significationem finis, quae subest dativo et locativo, perspicue cognoscamus.

**) Ne ad hunc quidem infinitivum explicandum ellipsin statuere opus esse mihi videtur nec minus falsas duco sententias virorum doctorum, qui tali infinitivo eandem vim atque accusativo liberiorem in modum usurpato, quem in comparationem vocant, subiectam esse docent aut particulam illam *ὡς*, quae saepius adverbiali infinitivo praecedit, idem valere censent atque latinum „ita - ut“ aut nostrum „in einer solchen Weise, wie.“ Quibus sententiis nuperrimus exstitit adversarius Heilmannus, qui hunc infinitivi usum ex principali atque genuina natura deducens et locativo casui et huic infinitivo significationem subesse „im Bereich, in der Sphäre“ demonstrat (l. l. p. 3).

finitivum minime regat, sed nihil nisi comparativa particula sit et sensus temperandi causa et ad opinionem eius qui loquitur indicandam adiciatur, infinitivus cum hac particula coniunctus prorsus non seiungendus est ab infinitivo ea carente, nedum confundendus sit cum infinitivo post ὥστε et ὡς coniunctiones consecutivas posito.

Articulus in his formulis apud poetas tragicos nusquam exstat, qui usus apud alios scriptores saepissime invenitur.

Apud Sophoclem quinque indagavi exempla, ubi εἰκάζειν vel compositum ἐπεικάζειν aut ἀπεικάζειν legitur, qui infinitivi nostrae voci „vermutlich," latinis verbis „si licet conicere" respondent. Simplex εἰκάζειν exstat:

OR. 80. *Οἰδ.* ὦναξ Ἄπολλον, εἰ γὰρ ἐν τύχῃ γέ τῳ σωτῆρι βαίη, λαμπρὸς ὥσπερ ὄμματι.
Ἱερ. ἀλλ' εἰκάσαι μέν, ἡδύς.

OC. 16. Χῶρος δ' ὅδ' ἱρός, ὡς σάφ' εἰκάσαι, βρύων δάφνης, ἐλάας, ἀμπέλου.*)

Compositum ἀπεικάζειν inveni uno loco:

Tr. 141. πεπυσμένη μέν, ὡς ἀπεικάσαι, πάρει.**)

ἐπεικάζειν duobus locis ita usurpatur:

OC. 149. ἐή, ἀλαῶν ὀμμάτων
ἆρα καὶ ἦσθα φυτάλμιος; δυσαίων
μακραίων τέθ', ὡς ἐπεικάσαι.***)

*) Hoc loco scriptura fluctuat inter ὡς ἀφεικάσαι, quod codex Laurentianus a m. pr. exhibet, ὡς ἀπεικάσαι, ὡς σάφ' εἰκάσαι. Laurentiani lectionem, quam omnes editores reiecerunt, Nauckius fortasse defendi posse putat iis quae Car. Keilius collegit Sched. epigr. p. 7—11; scribit tamen ὡς ἀπεικάσαι, quod Suidas et Zonaras v. ἱρός habent, alii ὡς σάφ' εἰκάσαι, quod plerisque editoribus placet. — σάφ' εἰκάσαι exstat in cod. Parisino; in Laurentiano a manu S. π super φ positum est. Mihi quoque lectio ὡς σάφ' εἰκάσαι praeferenda videtur esse aliis. Id autem constat certe, infinitivum hoc loco adverbii partes tueri.

**) Hermannus coniecit ὡς ἐπεικάσαι.

***) Haec est corrupta codicum lectio. Heathio et Dindorfio auctoribus nunc legitur μακραίων θ' ὅσ' ἐπεικάσαι, recte ut videtur: quamquam Sophocles in adverbiali phrasi ceteris locis ponit aut nudum infinitivum aut infinitivum ὡς particula instructum ita ut certe memorabile videatur, hoc loco ὅσα infinitivo praefixum esse, quod ne apud alios quidem poetas tragicos legitur.

Tr. 1220. Ἰόλην ἔλεξας, ὥς γ' ἐπεικάζειν ἐμέ*)

Quo altero loco accusativus cum infinitivo legitur; qua structura nullo alio loco Sophocles usus est.

His exemplis annectam adverbialem phrasin δοκεῖν ἐμοί, quam reperimus

El 410. ἐκ δείματός του νυκτέρου, δοκεῖν ἐμοί.**)

Denique duo loci proferendi sunt, ubi verbum declarandi (εἰπεῖν) in infinitivo adverbiali positum legitur:

OR. 1221. τὸ δ' ὀρθὸν εἰπεῖν, ἀνέπνευσά τ' ἐκ σέθεν.
frg. 435,1 (380,1). οὐ λιμὸν οὗτος τῶνδ' ἀπῶσε, σὺν θεῷ
εἰπεῖν, χρόνου τε διατριβὰς σοφωτάτας
ἐφεῦρε φλοίσβου μετὰ κοπὴν καθημένοις;

Tales parentheses latine vertas „ut . . . dicam."

Octo igitur infinitivi adverbium vi aequantes apud Sophoclem inveniuntur; quinquies εἰκάζειν vel compositum, semel δοκεῖν, bis εἰπεῖν talibus constructionibus utuntur, quae eadem verba ab Aeschylo et Euripide simili modo usurpata nobis occurrunt. Uno loco (Tr. 1220) constructio accusativi cum infinitivo exstat; neque apud Aeschylum neque apud Euripidem tales adverbiales phrases accusativum cum infinitivo exhibeant.

Omnia exempla, quae attuli, aut infinitivum aoristi aut praesentis praebent, qui infinitivi sine allo discrimine in usum vocati sunt; usitatius est illud tempus et apud Sophoclem et apud alios poetas tragicos.

Priusquam ad alium infinitivi usum transeam, hic nonnulli loci tractandi sunt, de quibus explicandis interpretes dissident. Ac primum mihi persuasissimum est, non hoc in genus infinitivorum referendum esse infinitivum εἰκάσαι OC. 1677, qui versus nunc ita legitur:

Χο. τί δ' ἔστιν; Ἀντ. ἔστιν μὲν εἰκάσαι, φίλοι.

*) Laurentianus exhibet ὥστ' cuius loco Reiskius scripsit ὥς γ'; Wecklinius proposuit ὡς ἀπεικάζειν (cf. Ars Soph. em. p. 27), quocum Nauckius consentit.

**) δοκεῖν ἐμοί displicet Nauckio. vv. 410—416 spurios esse putat Morstadtius prog. p. IV aut graviter corruptos.

In codicibus scriptum invenimus *οὐκ ἔστι μέν.* Quid hoc sibi velit, intellegi non potest; certe cavendum est, ne Reisigium secuti distinguamus: *οὐκ ἔστιν, εἰκάσαι*, quod latine vertendum est „non est (Oedipus), si licet conicere“. Quod falsissimum esse Ellendtius in lex. Soph. s. *εἰκάζειν* iudicavit, quia, ut verbis eius utar, neque aptum illud, quasi adhuc de vivo an mortuo coniectura fieret, et misere friget *εἰκάσαι*. Fortasse illud *οὐκ* quod delevit Hermannus metri causa interpositum est, ut trim. iamb. restitueretur, quia et praegressus versus et sequens, qui est trimeter, ex continuis iambis constat; quod tolerari nequit, cum hoc metrum antistrophicus versus non habeat, cui strophicus versus deleto *οὐκ* accuratissime respondet. Itaque infinitivus *εἰκάσαι* non adverbii locum obtinet sed cum *ἐστίν* coniungendus est.

Deinde Nauckius non recte iudicasse mihi videtur dicens locutionem *ὡς κλύειν ἐμέ*, quae legitur Tr. 1125:

ὦ παγκάκιστε, καὶ παρεμνήσω γὰρ αὖ
τῆς πατροφόντου μητρός, ὡς κλύειν ἐμέ;

adverbialibus infinitivis ascribendam esse; nam hoc loco *ὡς* aeque atque OR. 84 (*ξύμμετρος ὡς κλύειν*) me quidem iudice consecutiva particula est; simillimo loco *ὥστε* invenimus OR. 1045 (*ὥστ' ἰδεῖν ἐμέ.*)

Ut hanc quaestionem ad finem perducam, de OC. v. 1191 paucis mihi disserendum est; legimus enim vv. 1189 sqq.

ἔφυσας αὐτόν. ὥστε μηδὲ δρῶντά σε
τὰ τῶν κακίστων κἀσεβεστάτων, πάτερ,
θέμις σέ γ' εἶναι κεῖνον ἀντιδρᾶν κακῶς.

Matthiaeus (Griech. Gram. § 547) infinitivum *εἶναι* in adverbialium infinitivorum numerum referri vult, cum dicit *σέ γ' εἶναι* esse quodammodo unam vocem et significare „was dich betrifft.“ Huic viro docto alii assentiuntur, ut Brunckius, qui contendit *σέ γ' εἶναι* vi aequare latinum, quod te attinet.“ Quam sententiam prorsus reicio, cum talis locutio mirum quantum abhorreat a tragicorum poetarum genere dicendi; ne apud prosae quidem scriptores talem vocem illum in modum adhibitam invenimus, etsi similia saepius legimus ut *τὴν πρώτην εἶναι, ἑκὼν εἶναι* alia eius modi. Sed hoc loco ea constructio statuenda est: *ἔφυσας αὐτόν, ὥστε μηδὲ θέμις εἶναί σέ γ' ἀντιδρᾶν κακῶς κεῖνον δρῶντά σε τὰ τῶν κακίστων κ. τ. λ.* „so dass es keineswegs Recht ist, dass du als Vater u. s. w.“ *θέμις* in talibus locutionibus non flecti nunc pro certo habere possumus, ad quod confirmandum hi similes loci afferri possunt: Aesch. Suppl. 335. Plat. Gorg. p. 505 c. Strabo XV p. 712. Aelian. N. A. 1,60 (cf. Buttmann Gr. 1, p. 252, Ellendt lex. Soph. s. *θέμις*). De accusativo cum infinitivo, qui pendet a verbis *μηδὲ θέμις εἶναι*, cf. Philoct. 346. Nonullos offendit verborum collocatio, cum duo accusativi cum infinitivis confundantur *θέμις σέ γ' εἶναι ἀντιδρᾶν.* Sed hoc poetae tribui posse nunc omnes consentiunt.

Iam transgrediamur ad tertium genus infinitivorum absolute positorum et inquiramus in eius infinitivi usum, qui in exclamatione locum obtinet.

III. De infinitivo in exclamatione usurpato.

Ut in omnibus linguis locutiones quaedam, quo longius procedit tempus, sensim et pedetentim in usu versari desistunt, earumque loco alia substituuntur subsidia, ita graeci infinitivi quoque alia genera perierunt, alia exstiterunt. Cum infinitivorum iussum aliquod significantium usus apud Homerum saepissime occurrat et annis decurrentibus magis magisque angustioribus terminis circumscriptus sit, e contrario infinitivi in exclamationibus positi usus Homero incognitus est, postea autem exortus aetate provectiore longius latiusque diffusus est, ut cum apud poetas tragicos tum maxime apud scriptores prosae talis constructionis exempla non ita pauca inveniantur.*)

---

*) H e b o l d i u s p. 14 hunc quoque infinitivum, qui exclamativus vel emphaticus nominatur, ad antiquissimam infinitivi naturam refert; quomodo id faciendum sit, non pronuntiat. Quae sententia mihi non probabilis videtur esse; potius Karstensium sequar, qui p. 16 hanc constructionem ex natura dativi et locativi casus intellegi non posse, sed ex recentiore infinitivi vi exortam esse iudicat. Liceat hoc loco a aslilinguas in compa-

Graeci infinitivos hac significatione instructos usurpabant aut cum articulo coniunctos aut nudos. Aeschylus, qui duobus locis infinitivo exclamativo usus est, articulum omisit, Sophocles uno loco articulum infinitivo anteposuit, uno nudum infinitivum usurpavit; apud Euripidem talem infinitivum non invenies nisi cum articulo *τό* coniunctum, et tribus quidem locis.

φεῦ interiectio promiscue adicitur aut omittitur.

Illud exemplum, quod legitur Ph. 234:

ὦ φίλτατον φώνημα. φεῦ τὸ μὴ λαβεῖν
πρόσφθεγμα τοιοῦδ' ἀνδρὸς ἐν χρόνῳ μακρῷ

hic praetermittam, quia in illa parte commemorabo, in qua agam de eo infinitivo, cui articulus additus est; itaque unius tantummodo exempli commemoratio hoc loco facienda est, quod exstat Ai. 410:

ὦ δυστάλαινα, τοιάδ' ἄνδρα χρήσιμον
φωνεῖν, ἃ πρόσθεν οὗτος οὐκ ἔτλη ποτ' ἄν.

Latine hoc vertendum est: „talia virum strenuum loqui."

Praeterquam quod hic exclamativus infinitivus articulum non exhibet, id discrimen inter hunc locum et praemissum, qui e fabula Philoctetae petitus erat, intercedit, quod hic accusativus cum infinitivo usurpatus est, illic nudus infinitivus; apud Euripidem duobus locis Med. 1052 et Alc. 832 praecedit genetivus exclamativus, quem infinitivus sequitur, quo illius exclamationis causa et argumentum continetur; semel apud eum accusativum cum infinitivo reperimus. Aeschylus infinitivo vim exclamationis non subiecit, nisi ei subiectum, quod

rationem vocare, quae et ipsae exclamativos infinitivos procreaverunt. In lingua latina accusativus cum infinitivo saepe adhibetur et in exclamationibus et in quaestionibus cum indignatione quadam et ira effusis. Ut exemplum afferam, legimus Cic. Verr. 5,38: „O spectaculum miserum atque acerbum: ludibrio esse urbis gloriam et populi romani nomen." Ter. Andr. I, 5, 10: „Adeon' hominem esse invenustum atque infelicem quemquam, ut ego sum?" Nobilis est Vergilii locus Aen. I, 41: „Mene incepto desistere victam?" In nostra lingua similis infinitivi usus invenitur, cum haece, ut exempla proferam, locutiones a consuetudine nostra loquendi prorsus non abhorreant: „Ich und von meinem Vorhaben abstehen", vel „wehe so unglücklich zu sein", „Dich so lange nicht gesehen zu haben."

casu accusativo utitur, addidit, ne prima quidem persona *ἐμέ* repudiata Eum. 837.

Quod attinet ad tempora in his structuris adhibita infinitivus aoristi a poetis tragicis non solum pari solum atque infinitivus praesentis usurpatur sed etiam ad res praeteritas significandas, qui usus duobus exemplis confirmatur: Sophocleo illo loco Ph. 234 et Eur. Alc. 832. Alia tempora non leguntur apud poetas tragicos.

Iam vero his infinitivi generibus absolutis eorum infinitivorum usum examinemus, qui quodammodo medii sunt inter hos infinitivos absolute positos et illos, qui ab aliis enuntiati membris pendent, dico eos infinitivos, qui quamquam cum aliis verbis societate coniuncti tamen iis non ita diriguntur, ut sui iuris esse plane desistant.

IV. De infinitivo epexegetico.

Sophocles utitur hoc infinitivo aut appositionis vel epexegeseos instar ad praecedentis verbi alicuius notionem diligentius accuratiusque illustrandam aut pleonastice ad orationem exornandam eiusque vim amplificandam, ubi nos particula consecutiva vel finali uti solemus. Is infinitivus laxiore nexu cum praegressis verbis coniunctus nonnunquam nihil novi nec sententiarum nexui necessarii affert sed uberius quam pro sensu opus est, usurpatur.*)

In epico sermone usus infinitivi epexegetici frequentissimus est, et apud Homerum potissimum innumerabilia inveniuntur exempla; postea is usus magis magisque angustis finibus saeptus est. Karstensius ex omnibus Aeschyli fabulis tantummodo sedecim infinitivos epexegeticos petitos affert; multo frequentiora exempla exstant apud Euripidem et Sophoclem.

Iam vero primum eorum infinitivorum usum tractemus, qui appositionis vel epexegeseos instar ad pronomina aut

*) Huius quoque infinitivi epexegetici significatio ad genuinam infinitivi naturam referenda mihi videtur esse, praesertim cum aliae quoque linguae indogermanicae tales infinitivos epexegeticos procreaverint.

substantiva accedunt. Additur autem infinitivus pronominibus, quae subiecti munere funguntur ad id accuratius describendum, quod iam pronominibus indicatum est, hisce locis: *ταῦτα* frg. 510,4 (501,4). *τοσοῦτον* OR. 836. *πάντα* Phil. 502. Accusativus cum infinitivo bis post *τάδε* legitur Ph. 628. Tr. 684.*) Substantiva, quae subiecti partes agentia infinitivum epexegeticum sibi asciscunt, sunt haec: *μόρος* El. 860.

Χορ. *πᾶσιν θνατοῖς ἔφυ μόρος.*
Ηλ. *ἦ καὶ χαλάργοις ἐν ἁμίλλαις*
οὕτως ὡς κείνῳ δυστάνῳ;
τμητοῖς ὁλκοῖς ἐγκῦρσαι.

In Electrae quaestione ratio habetur verborum chori ita, ut infinitivus epexegeseos instar accedat ad *μόρος*.

πόνος Ph. 892. *ἐγχείρημα* OR. 540. *φάτις* ibid. 1440. *δόξα* ibid. 911. *ἔρις κακή* OC. 373. *μοῖρα* Ph. 331. *ἵμερος* OC. 1726. frg. 154,8 (162,8). *ἔρως* frg. 868,1 (690,1). Huic eidem infinitivorum generi annumerandus mihi videtur esse infinitivus *εὐδαιμονίσαι*, qui legitur OC. 144.

Χο. *Ζεῦ ἀλεξῆτωρ, τίς ποθ' ὁ πρέσβυς;*
Οἰ. *οὐ πάνυ μοίρας εὐδαιμονίσαι*
πρωτῆς, ὦ τῆσδ' ἔφοροι χώρας.

Infinitivus a poeta usurpatus est, ut explicet, quis sit senex; e chori enim interrogatione *τίς ποθ' ὁ πρέσβυς* supplendum est ante Oedipodis responsum *τις* „aliquis“; quae qualitas huic „*τις*“ insit, infinitivus *εὐδαιμονίσαι* accuratius indicat, qui genetivum causalem qui dicitur *μοίρας πρωτῆς* regit. Itaque reicio sententiam eorum, qui non *τις* sed *εἰμί* subaudiunt, quo verbo suppleto difficile mihi videtur esse infinitivum explicare. Nauckii coniectura *εὐδαίμων ἦ* repudianda mihi videtur, cum traditus infinitivus *εὐδαιμονίσαι*, si subaudimus *τις*, mea sententia nec grammaticas neque criticas dubitationes

*) Sic legitur: *καί μοι τάδ' ἦν πρόρρητα, καὶ τοιαῦτ' ἔδρων, τὸ φάρμακον . . . σῴζειν ἐμέ.* Accusativus cum infinitivo *σῴζειν ἐμέ* adiectus est verbis *μοὶ τάδ' ἦν πρόρρητα* neque referendus est ad *τοιαῦτ' ἔδρων*, quae verba parenthesin quodammodo efficiunt. Wunderus eiecit hunc versum, quod Nauckius probat.

admittat. Monendum quidem est, pro genere activo nos genus passivum exspectare. Haec est consuetudo linguae graecae propria, quae in sequenti quoque exemplo nobis occurrit.

El. 1505. *χρῆν δ' εὐθὺς εἶναι τήνδε τοῖς πᾶσιν δίκην*
ὅστις πέρα πράσσειν τι τῶν νόμων θέλοι,
κτείνειν. *)

Hoc postremo loco substantivum, cui infinitivus explicationis causa adiectus est, in oratione obliqua subiecti locum obtinet.

Accusativus cum infinitivo hisce locis sequitur haec subiecta: *ἐπίκτησις* Ph. 1344. *κλεινὸν ἔπος* Ant. 621. *μοῖρα* OR. 713.**) *ἔρως* OC. 367.***) *γνώμα* ibid. 1075, de quo loco pauca mihi dicenda sunt; apud Nauckium sic legimus:

V. 1074. *ἔρδουσ' ἢ μέλλουσιν; ὡς*
προμνᾶταί τί μοι
γνώμα τάχ' ἂν δώσειν
τᾶν δεινὰ τλασᾶν, δεινὰ δ' εὑρουσᾶν πρὸς αὐθαί-
μων πάθη. †)

Interpretes maxime in explicando *ἂν δώσειν* se torserunt, quod corruptum esse apertum est; scholia praebent lectionem *ἐνδώσειν*, quae significat „remittere“, nostrum „nachlassen“; ita scripserunt Elmsleius et Dindorfius. Nauckius, qui hunc locum verbis *ἂν δώσειν* in *ἐνδώσειν* mutatis non sanari contendit, aliam rationem ingressus est; propter verborum enim collocationem coniungendum esse ratus *δεινὰ πάθη*, quae verba suspensa sint ex *εὑρουσᾶν*, *ἂν δώσειν* in substantivum aliquod

*) Dindorfius deleri vult vv. 1505—1507, Blaydesius infinitivum *κτείνειν* in *θανεῖν* mutavit.

**) Codex Laurentianus praebet *ἥξοι*, Canterus proposuit *ἕξει*, Car. Halmius *ἕξοι*, quod Nauckius recepit. *ἥξοι* retinendum mihi videtur esse, cf. adnot. Ritteri.

***) Pro codicum scriptura *ἔρις* Tyrwhittius conicit *ἔρως*, cum *ἔρις* quid sibi velit intellegi non possit, Bergkius *ἤρεσεν*, Nitzschius Rh. Mus. XI, 467 *ὅρος*, quocum Nauckius consentit. Mihi Tyrwhittii coniectura maxime probabilis videtur, quae neque a tradita scriptura multum recedit et optimam expedit sententiam.

†) *τᾶν, τλασαν, εὑρουσᾶν* schol., *τὰν, τλᾶσαν, εὑροῦσαν* libri. *αὐθαίμων* pro eo quod traditum est *αὐθομαίμων* em. Bothius.

mutari vult, quo subsequentes genetivi regantur; itaque censet Halmii coniecturam *τάχ' εὔσοιαν* esse comprobandam vel scribendum *τύχαν λέφω*, nec displicet ei *τάχ' ἀντάσειν*, quae Buecheleri coniectura est. Sed mihi quae de collocatione verborum Nauckius dicit non tam grave videntur esse, ut propterea lectionem a scholiasta traditam repudiemus; certe sententia, quae sic exsistit, minime inepta est; chorus sperat et praesagit, mox remissuras esse calamitates puellarum, quae multos casus expertae sunt. Ad *γνώμα* igitur epexegeseos instar accedit accusativus cum infinitivo, qua in constructione subiecti munus impertitum est substantivo *πάθη*, cum *δεινά* obiecti vice fungatur apud participia *τλασᾶν* et *εὑρουσᾶν*.

Hic aptum erit paullo accuratius disputare de Electrae versibus 496 sqq., cum mihi persuasum sit, accusativum cum infinitivo *πελᾶν τέρας* epexegeseos instar additum esse nomini alicui, quod v. 496 excidit. In O. Jahnii editione versus sic leguntur ut scripti sunt in cod. Laurentiano:

v. 495. *πρὸ τῶνδέ τοί μ' ἔχει*
(– ⏑̱ ⏑) *μήποθ' ἡμῖν*
ἀψεγὲς πελᾶν τέρας
τοῖς δρῶσι καὶ συνδρῶσιν.

V. 496 respondet strophico versui 480 *ἁδυπνόων κλύουσαν*, quem esse logaoedicum et constare ex uno dactylo et duobus trochaeis veri simillimum est; itaque initio versus 496 tres syllabae perierunt, quae dactylum efficiunt. In vs. 495 post *ἔχει* addunt *θάρσος* schol. et nonnulli codd. deteriores; in cod. Parisino aliisque libris deterioribus scriptum est v. 496 *μήποτε μήποθ' ἡμῖν*. A viris doctis diversissima proposita sunt: cf. ed. Jahnii (1882) p. 79 et p. 156. Concedendum est, substantivum *θάρσος* vel simile huic loco aptissimum esse, cum optimam sententiam expediat. *ἡμῖν* ex mea sententia neque commutandum neque cum *τοῖς δρῶσι καὶ συνδρῶσιν* coniungendum est, quia multo aptior sententia paratur, si *ἡμῖν* refertur ad infinitivum *πελᾶν* et *ἀψεγές* praedicative usurpatum ad dativos illos *τοῖς δρῶσι καὶ συνδρ.* (qui sunt Clytaemnestra et Aegisthus) ita ut nobis vertendum sit

„mich hält der Gedanke fest, dass das Wunderzeichen (der Traum) uns erscheine als ein solches, welches niemals unschädlich sein wird den Thätern und Mitthätern". Etsi difficillimum est diiudicare, quid Sophocles hoc loco scripserit, et fatendum est, nihil quod certum atque exploratum sit adhuc esse indagatum, id unum tamen constare mihi videtur, accusativum cum infinitivo epexegeseos vel appositionis instar nomini alicui, quod in cod. Laur. excidit, additum esse. Schol.: *θάρσος με ἔχει μὴ πρὸ τούτων τῶν προειρημένων, Αἴγισθον καὶ Κλυταιμνήστραν, τοῦτο τὸ ὄναρ ἄψεκτον ἡμῖν προσπελάζειν*, vel *θαρρῶ ὅτι τοῖς δρῶσι ταῦτα καὶ συνδρῶσιν αὐτοῖς οὐκ ἔσται ἄψεκτος ὁ ὄνειρος. παθόντες γὰρ ψέξουσι τὸ ὀφθέν.* Cf. Ellendt lexic. Soph. s. *πελᾶν* „somnium numquam non vituperandum caedis auctori et adiutori i. e. *βλαβερόν, δυσώνυμον.*"

Denique unum exemplum proferendum est, ubi subiectum non expressum est sed supplendum ad accusativum participii praedicative dicti:

Ant. 482. *ὕβρις δ', ἐπεὶ δέδρακεν, ἥδε δευτέρα,*
τούτοις ἐπαυχεῖν καὶ δεδρακυῖαν γελᾶν.

Saepissime infinitivus epexegeticus invenitur accedens ad pronomina vel substantiva, quae casibus obliquis utuntur.

Priusquam ea exempla enumero, ubi pronominibus obiecti vices tuentibus infinitivus sese applicat ad significandum id quod illis iam antea indicatum est, commemorandum mihi est, haec pronomina fere semper apud ea verba locum habere, quae per se ipsa infinitivum assumere solent, ut nos plerumque ante infinitivum addere possimus „nämlich".

Post *τοῦτο* legitur nudus infinitivus Ph. 1421. 1440, accusativus cum infinitivo ibid. 869. OR. 1512. Subiectum infinitivi non proprie significatum est, sed intellegitur ex accusativo praedicative usurpato, qui ad dativum a verbo regenti enuntiati primarii pendentem spectat Ai. 116.*) Pronomini

*) Codicum scripturam *χωρῶ πρὸς ἔργον· τοῦτο σοὶ δ' ἐφίεμαι,| τοιάνδ' ἀεί μοι σύμμαχον παρεστάναι* non recte se habere iudicans Dindorfius scribi iubet *χωρῶ πρὸς ἔργον, σοὶ δ' ἐφίεμαι θεά,* atque

τόδε nudus infinitivus additus est Ph. 1201. El. 133,*) quo posteriore loco negationem *μὴ οὐ* infinitivo appositam videmus praemisso *οὐδ' ἐθέλω προλιπεῖν τόδε.* Post *ἐκεῖνο* exstat nudus infinitivus Ph. 310, post *τοσοῦτον* OC. 790,**) acc. c. inf. OR. 1455, ubi negatio *μήτε — μήτε* infinitivo adiecta est. His pronominibus adiungo *τοιαῦτα*, cui acc. c. inf. sese applicat El. 35. Sequantur duo pronomina relativa *ἅ* et *οἷα*, quorum alterum *ἅ* semel exstat Ph. 1398***) cum nudo infinitivo consociatum, alterum ita usurpatum est Tr. 1206, ut subiectum infinitivi supplendum sit ad accusativum praedicative positum. Denique pronomen interrogativum *πότερα* commemorandum est, cui duos infinitivos epexegeticos cum nominativis additos reperimus, cum subiectum infinitivorum non differat ab subiecto enuntiati primarii Ai. 265.†)

πότερα δ' ἄν, εἰ νέμοι τις αἵρεσιν, λάβοις,
φίλους ἀνιῶν αὐτὸς ἡδονὰς ἔχειν
ἢ κοινὸς ἐν κοινοῖσι λυπεῖσθαι ξυνών;

Etiam nomina numerabilia infinitivum epexegeseos causa sibi adiungunt: *ἕν* Tr. 734 (*ἐκ τριῶν σ' ἓν εἰλόμην ἢ μήκετ' εἶναι ζῶσαν ἢ κτλ.*). OC. 985, quibus locis accusativus cum

Nauckius, ipse quoque *τοῦτο* non necessarium ducens, aut sic aut cum Bergkio scribendum censet *σοὶ δὲ τοῦτ' ἐφίεμαι.* Rectissime defendit Hermannus *τοῦτο* cum adnotat, hoc pronomen egregie convenire orationi mente capti magnumque quiddam sibi a Minerva obtigisse rati. De collocatione verborum cf. Ellendt Lex. Soph. p. 159.

*) Erfurdtius coniecit v. 132 *οὔτι δ' ἔχω* pro *οὐδ' ἐθέλω*, Blaydesius *προλιπεῖν τὸ μὴ | οὐ* pro *προλιπεῖν τόδε | μὴ οὐ.*

**) Traditum est: *ἔστιν δὲ παισὶ τοῖς ἐμοῖσι τῆς ἐμῆς | χθονὸς λαχεῖν τοσοῦτον, ἐνθανεῖν μόνον.* L. Langius scripsit *ἐνθανεῖν ὅσον* (de Soph. El. stasimo sec. Giessen 1859. p. 29), Blaydesius *χθονὸς λαχεῖν ὅσονπερ ἐνθανεῖν μόνον.*

***) Blaydesius traditum infinitivum *πέμπειν* sine causa, ut mihi videtur, mutavit in *πέμψειν.*

†) Nauckius hunc locum corruptum esse ratus sic scribi vult *πότερα δ' ἄν, εἰ νέμοι τις αἵρεσιν, λάβοις | φίλους ἀνιῶντ' αὐτὸν ἡδονὰς ἔχειν | ἢ κοινὸν ἐν κοινοῖσι λυπεῖσθαι φίλον.*

infinitivo legitur, *δύο* El. 1086,*) ubi subiectum infinitivi etsi non additum est, tamen casus nominativus praedicati munere fungitur subiecto non mutato; cuius modi simillimum exemplum exstat El. 345, ubi post *θάτερα* infinitivus epexegeticus positus est.

Concludat hanc seriem *δισσά* frg. 428,2 (419,2), cui et substantivum *μέμψιν* et infinitivum *ἁμαρτάνειν* adiectum invenimus.

Adiectiva obiecti locum obtinentia quae infinitivus epexegeticus sequitur non leguntur nisi *δεινά* uno loco, quod cum accusativo cum infinitivo consociatur Ai. 331.**)

Iam transeamus ad substantiva obiecti partes agentia, quae epexegeseos causa infinitivum assumunt: acc. *τάσδε λιτάς* OC. 484 infinitivus sequitur 487, *τάσδε ἀράς* ibid. 1384, ubi negatio *μήτε — μήτε* infinitivo apposita est, *θάρσος* Ph. 597. *μέλημα* Ph. 150.***) *νοῦν* El. 1013,†) quo extremo loco nominativus participii apud infinitivum exstat, qui idem subiectum praebet quod enuntiatum primarium. Constructionem accusativi cum infinitivo quattuor locis habemus: post *ἓν ἦθος*

*) Magnas praebet difficultates interpretibus verborum *ὡς καὶ σὺ πάγκλαυτον αἰῶνα κλεινὸν εἵλου, τὸ μὴ καλὸν καθοπλίσασα* (sic O. Jahn p. 119) explicatio; sed a proposito valde aberrarem, si quid illi de hoc loco sentirent quidque proponerent, pertractarem; quod invenies in O. Jahnii editione p. 119. 165 sq. Id certe constat, neque *δύο* neque infinitivum *κεκλῆσθαι* mutanda esse.

**) Pro *δεινά* Bentleius *δεινοῖς* legendum et cum sequenti dativo *κακοῖς* coniungendum esse censet, quod Nauckius comprobat. Si ad verborum collocationem respicimus, multo aptius videtur traditam lectionem retinere.

***) Traditum est vitiose v. 151 *τὸ σὸν φρουρεῖν ὄμμ' ἐπὶ σῷ μάλιστα καιρῷ*, quibus in verbis expediendis magna est varietas opinionum. Nauckius eiecit *σὸν ὄμμ'*, alii cum Triclinio *τὸ σόν.* Quocumque modo res sese habet, id certe concedendum esse puto, infinitivum *φρουρεῖν* ad verba *μέλον πάλαι μέλημα* epexegeseos instar accedere.

†) Tradita lectio *νοῦν σχές . . . . εἰκάθειν* displicet Morstadtio, qui loco eius scribit *νοῦν σχοῦσ' . . . εἴκαθε* (p. 32).

μοῦνον Ant. 705,*) post *ἐλπίδας* El. 952, post *ἐλπίδα* OC. 385,**) Ai. 605, quo postremo loco quamquam subiectum non mutatur tamen accusativus cum infinitivo legitur. Singularis est ratio loci OC. 88 (*ταύτην παῦλαν*), ubi in uno eodemque enuntiato prius casus dativus, tum accusativus praedicative infinitivo adiectus est.

Casus genetivus hisce locis invenitur: *ἀρχῆς* Ai. 1103. *δυοῖν κακοῖν* OR. 640,***) ubi casus nominativus participii infinitivo additus est. Constructio accusativi cum infinitivo legitur post *ἐλπίδων* El. 810. Duobus locis dativus substantivi *ἐλπίς* ita usurpatur: *ἐλπίσιν βόσκομαι* Ant. 1246. *ἐν ἐλπίσιν τρέφω* ibid 897, inter quos duos locos hoc est discrimen, quod v. 897 infinitivi subiectum idem est quod verbi in enuntiato primario locum habentis, quamobrem praedicatum casu nominativo utitur, v. 1246 cum subiectum mutetur accusativus praedicati usurpatus est, quamquam infinitivi subiectum non proprie significatum est. Denique huc adde *ἐπὶ δυσκλείᾳ* Ai. 143, ubi accusativus cum infinitivo legitur.

Etiam adverbium *οὕτω* infinitivum epexegeticum assumit Tr. 610; acc. c. inf. exstat Ant. 639, cf. Eur. Phoen. 380.

*) Laurentiani codicis scripturam *ἔχει* in *ἔχειν* mutandam esse in aperto est.

**) Legitur *ἤδη γὰρ ἔσχες ἐλπίδ', ὡς ἐμοῦ θεοὺς | ὤραν τιν' ἕξειν.* Nos exspectamus aut accusativum cum infinitivo voce *ὡς* omissa aut indicativum futuri cum *ὡς* coniunctum, quae duae constructiones permixtae sunt ut Aesch. Eum. 799. Cf. Krueger Gram. 55,4,10. Blaydesius coniecit *ἐλπίδας κἀμοῦ*, Hartungus *ἐλπίδ' ὧδ' ἐμοῦ.*

***) In codice Laurentiano vitiose exstat *δυοῖν ἀποκρίνας κακοῖν.* Dindorfius, cui Nauckius astipulatur, in editione tertia (Oxonii) *δυοῖν ἀποκρίνας*, quod scholiasta explicat „*ἓν τῶν δύο ποιήσας*", mutavit in *θάτερον δυοῖν.* Cum hoc viro docto in eo consentire non possum, quod *ἀποκρίνειν* numquam eam significationem induere contendit, quae hoc loco ei impertienda est; nam, ut unum exemplum afferam, apud Herodotum hist. VI, 130 significatio „auswählen" huic verbo subesse mihi videtur. In dubio relinquo, quid hic scribendum sit. Id negari non posse puto, hoc loco infinitivum epexegeticum statuendum esse.

Commemorandum denique est, verbis quoque infinitivum liberius adici, qui consecutivum sensum induit, cum indicet, quid verbo efficiatur, quid ex eo consequatur.*)

Cuius modi inveni haec exempla, ubi infinitivo praeponimus particulam consecutivam „dass, so dass":

OC. 12. *μανθάνειν γὰρ ἥκομεν*
ξένοι πρὸς ἀστῶν, ἃν ἀκούσωμεν τελεῖν.

Sententia est perspicua: „wir sind in die Lage gekommen, wir sind darauf angewiesen, dass wir uns belehren lassen müssen". Scholiasta adnotat: *εἰς γὰρ τοῦτο ἐληλύθαμεν, ἅτε δὴ ξένοι ὄντες, παρὰ τῶν ἀστῶν μανθάνειν, τί ἐστι πρακτέον ἡμῖν.* Latine hunc locum non vertas nisi particulam „ut" usurpes. Ut in hoc exemplo nominativus *ξένοι* praedicati munere fungitur apud infinitivum *μανθάνειν*, ita in sequenti quoque nominativus participii praedicative positus est:

OC. 1211. *ὅστις τοῦ πλείονος μέρους*
χρῄζει, τοῦ μετρίου παρεὶς
ζώειν κτέ.

Genetivi *μέρους* et *μετρίου* cum ex verbo *ζώειν* suspensi esse debuerint, cum *χρῄζει* coniunguntur ita ut *ζώειν* epexegetice accedat. Cf. Krueger Gram. § 61,6,8.**)

Nudus infinitivus legitur:

OC. 661. *κείνοις δ' ἴσως, κεἰ δείν' ἐπερρώσθη λέγειν*
τῆς σῆς ἀγωγῆς.

Latine „si illi eo processerunt audaciae ut" vel „illis adeo crevit fiducia ut."

Ant. 63. *ἀρχόμεσθ' ἐκ κρεισσόνων,*
καὶ ταῦτ' ἀκούειν κἄτι τῶνδ' ἀλγίονα.

Ai. 1334. *μηδ' ἡ βιά σε μηδαμῶς νικησάτω*
τοσόνδε μισεῖν.

El. 871. *ὑφ' ἡδονῆς τοι, φιλτάτη, διώκομαι*
τὸ κόσμιον μεθεῖσα σὺν τάχει μολεῖν.

*) Hanc notionem deducendam esse ex significatione termini vel finis apparet.

**) Sane non consecutivus est huius infinitivi sensus; sed aptissime mihi hoc loco commemorandus esse videbatur.

Hoc loco nominativus participii apud infinitivum locum tenet. Constructionem accusativi cum infinitivo habemus duobus locis:

Ai. 1060. *νῦν δ' ἐνήλλαξεν θεὸς*
*τὴν τοῦδ' ὕβριν πρὸς μῆλα καὶ ποίμνας πεσεῖν.**)

Scholiasta explicat *ἀνέστρεψε*, „rem ita vertit". Infinitivus *πεσεῖν* indicat, quid ex *ἐνήλλαξεν* consecutum sit.

Ai. 672. *ἐξίσταται δὲ νυκτὸς αἰανὴς κύκλος*
*τῇ λευκοπώλῳ φέγγος ἡμέρᾳ φλέγειν.***)

Denique duo composita verbi *εὑρίσκειν* afferenda sunt, quae ipsa quoque infinitivum epexegeticum sibi adiungunt, ante quem nos utimur particula finali „um zu" vel „damit":

Ph. 991. *οἷα κἀξανευρίσκεις λέγειν.*

Simile exemplum exstat OR. 120.

Non modo verbis singulis sed etiam totis enuntiatis infinitivus sese applicat ad eorum sententiam planius explicandam. Hic infinitivus consecutivam notionem induit.

Haec exempla habeo quae proferam: Tr. 225, ubi sic scribendum est:

ὁρῶ, φίλαι γυναῖκες, οὐδέ μ' ὄμματος
*φρουρὰ****) *παρῆλθε, τόνδε μὴ λεύσσειν στόλον.*

El. 103—109. Verba *οὐ λήξω θρήνων κτέ.* explicantur versibus 107—109 (infinitivo *προφωνεῖν*); cum *οὐ λήξω* praecedat, infinitivo *μὴ οὐ* appositum est.

Ibid. 902. *κεὐθὺς τάλαιν' ὡς εἶδον, ἐμπαίει τί μοι*
ψυχῇ σύνηθες ὄμμα, φιλτάτου βροτῶν
πάντων Ὀρέστου τοῦθ' ὁρᾶν τεκμήριον.†)

OR. 1417.
τὴν γοῦν πάντα βόσκουσαν φλόγα
αἰδεῖσθ' ἄνακτος Ἡλίου, τοιόνδ' ἄγος
ἀκάλυπτον οὕτω δεικνύναι.

*) Nauckius v. 1061 interpolatori tribuendum esse censet.
**) *φέρειν* Nauckius.
***) *φρουρὰν* Musgravius, recte ut videtur. Nauckius *οὐ* post *μὴ* addidit.
†) Pro *ὄμμα* legerunt *φάσμα* Nauckius, Blaydesius, F. G. Schmidtius, *ὄνομα* Walterus, *τοῦτο δρᾶν θελκτήριον* voluit Burgesius.

El. 1085. Ad vocem *πάγκλαυτον αἰῶνα κλεινὸν εἵλου* accedit infinitivus *φέρειν**) *δύο ἐν ἑνὶ λόγῳ* „so dass du davonträgst." Nominativus participii *καθοπλίσασα* praedicative dictus est.

Iamiam accedamus ad perquirendum eum infinitivum epexegeticum, qui plane pleonastica vi induta tantummodo inservit orationi amplificandae ita ut si abesset, nihil desideraretur. Ante hunc quoque infinitivum particula consecutiva vel finalis nobis ponenda est.**) Ea exempla in medium procedant quibus imprimis consecutiva vis subest, ubi dicimus „so dass":

Ant. 274. *κἀμὲ τὸν δυσδαίμονα*
πάλος καθαιρεῖ τοῦτο τἀγαθὸν λαβεῖν.

„Mich trifft das Loos, so dass ich teilhaftig werde dieser Auszeichnung." Deleto infinitivo non turbes enuntiati sensum, cui hoc infinitivo ironia quaedam subicitur.

OC. 752. *ἀλλὰ τοὐπιόντος ἁρπάσαι.****)
= *τοῦ τυχόντος οὖσα, ὥστε ἁρπάσαι αὐτήν* „dem ersten Besten preisgegeben, sie fortzuschleppen."

El. 319. *τὰ δὲ τοῖς δυνατοῖς*
οὐκ ἐριστὰ πλάθειν.

Sensus est in universum perspicuus: „ein solcher Streit darf nicht gestritten werden mit den Mächtigen, so dass man ihnen nahte", *οὐκ ἐριστὰ τοῖς δυνατοῖς ὥστε πλάθειν αὐτοῖς*; hoc idem scholiasta vult adnotans: *τοῖς κρατοῦσι οὐ δι' ἔριδος δεῖ εἰς ταῦτα προσπελάζειν. τὰ δέ* igitur spectat ad verba quae praecedunt: *σᾷ δυσθύμῳ τίκτουσ' ἀεὶ | ψυχᾷ πολέμους.* Multae coniecturae ad hunc locum explicandum ab interpretibus factae sunt: *τάδε* praeter Bothium Hermannus vult ita ut infinitivus ex praegressis verbis *τίκτουσα πολέμους* suspensus sit (*ὥστε πλάθειν τοῖς δυνατοῖς οὐκ ἐριστά*), afferens infinitivum *πλάθειν* pro *ἐρίζειν* dictum esse. Recte repudiavit

*) Nauckius *φέρει δ'* et Gleditschius *φέρεις* proponit.
**) Pari modo atque ex infinitivis supra tractatis etiam ex talibus infinitivis elucet pristina infinitivi vis.
***) Cf. OR. 393 et 917.

hanc interpretationem Ellendtius in lex. Soph. s. *πλάθειν* infinitivum ita durissime dictum esse monens. Ab eodem Ellendtio *τάγε* proponitur, *τά* ut pro *ἅ* dictum sit „quibus in rebus concurrere cum potentioribus controversias serentem ratio non est.“ At non modo *τὰ δέ* sed etiam *ἐριστά* et *πλάθειν* fuerunt qui mutare vellent. Mihi si lectione codicum servata infinitivum *πλάθειν* epexegetice usurpatum statuimus, prorsus apta sententia evadere videtur. Cf. Dindorfii et Wolffii adnotationes.

Ibid. 1276. *μή μ' ἀποστερήσῃς*
τῶν σῶν προσώπων ἡδονὰν μεθέσθαι.

ἀποστερήσῃς obiecto utitur *ἡδονάν*, cui voci infinitivus epexegeticus *μεθέσθαι* (*ὥστε μεθέσθαι*) sese applicat, qui et ipse eodem utitur obiecto; cf. Krueger Gram. 61, 6, 8 et adnotationes Schneidewini et Dindorfii. Etiam hunc locum nonnulli viri docti sine causa mutaverunt.

Tr. 854. *οἷον ἀναρσίων οὔπω ἀγακλειτὸν Ἡρακλέους*
*ἐπέμολε πάθος οἰκτίσαι.**)

Accusativus cum infinitivo exstat uno loco:

Ai. 786. *ξυρεῖ γὰρ ἐν χρῷ τοῦτο μὴ χαίρειν τινά.*

Scholiasta adnotat: *μέχρι βάθους διϊκνεῖται τοῦτο τὸ πρᾶγμα, ὥστε μὴ χαίρειν.*

In exemplis, de quibus nunc disseram, nos infinitivo epexegetico, qui proprius accedit ad finalem sensum, anteponimus particulas finales „zu“, „um zu“.

El. 1458. *σιγᾶν ἄνωγα κἀναδεικνύναι πύλας*
πᾶσιν Μυκηναίοισιν Ἀργείοις θ' ὁρᾶν. **)

---

*) Locus corruptissimus. *ἀπέμολε* Triclinius recte; G. H. Muelleri scripturam *οἷον ἐξ ἀναρσίων οὔπω ποτ' ἄνδρ' ἀγακλειτὸν | ἐπέμολε πάθος οἰκτίσαι* Nauckius recepit, qui praeterea in *οἰκτίσαι* offendens Lorenzii et Wunderi lectionem *αἰκίσαι* comprobat. Hartungus infinitivo deleto *οἴκιστον* scribi iubet. Utcumque res se habet, infinitivus *οἰκτίσαι*, si genuinus est, sub idem genus cadere mihi videtur atque quos antea tractavi infinitivi.

**) *ἀναδεικνύναι*, quod multis interpretibus displicet (cf. Jahnii edit. p. 144 et 173) hic simili modo usurpatum est atque Arist. Nub. 304.

Haec est codicum scriptura; Herwerdenus alterum versum delevit, quem Nauckius quamquam in textum recipit, uncis includit adnotans fieri non posse, ut Aegisthus poscat, ut omnes Mycenaei et Argivi mortuum aspiciant. Hoc sane poscere non potest; sed illud vult, cuicumque ea res curae sit, eum aspicere posse mortuum; neque is sensus a verbis alienus esse mihi videtur.

OR. 792. *γένος δ'*
ἄτλητον ἀνθρώποισι δηλώσοιμ' ὁρᾶν.

Non recte coniunxit scholiasta hunc infinitivum cum adiectivo praegresso *ἄτλητον*, quod propter collocationem verborum tolerari nequit, sed eadem ratione, qua El. 1459, infinitivus *ὁρᾶν* additus est verbo *δηλώσοιμι*, quos duos locos recte Wunderus comparavit.

OC. 34. *οὕνεχ' ἡμὶν αἴσιος*
σκοπὸς προσήκεις ὧν ἀδηλοῦμεν φράσαι.

El. 542. *ἢ τῶν ἐμῶν Ἅιδης τιν' ἵμερον τέκνων*
*ἢ τῶν ἐκείνης ἔσχε δαίσασθαι πλέον.**)

(„hatte Hades ein grösseres Verlangen u. s. w., um zu verschlingen“).

Huc adde Ai. 1264:

εἴθ' ὑμὶν ἀμφοῖν νοῦς γένοιτο σωφρονεῖν.

Denique, ut hanc quaestionem ad finem perducam, liceat ea afferre exempla, ubi infinitivus epexegeticus *φράσεως ἕνεκα*, ut dicitur, verbis praemissis adicitur. Talem infinitivum in iis potissimum inveni constructionibus, quae eo exortae sunt, quod duae constructiones permiscentur; cf. Krueger gr. Gram. § 61, 6, 8; duarum talium constructionum iam supra commemorationem feci El. 1277. OC. 1211. Exempla huc pertinentia in medium proferantur:

Ph. 62. *οὐκ ἠξίωσαν τῶν Ἀχιλλείων ὅπλων*
*ἐλθόντι δοῦναι κυρίως αἰτουμένῳ.***)

Exspectamus aut *οὐκ ἠξίωσάν σε τῶν ὅπλων* aut *οὐκ*

---

*) Cf. Eur. Alc. 845. A. Schoellius interpolatos esse censet vv. 534—551, Nauckius pro spuriis habet vv. 541—543.

**) Hunc alterum versum abesse vult Nauckius.

ἠξίωσάν σοι δοῦναι τὰ ὅπλα, quae duae constructiones a poeta confunduntur.

Ant. 489. *καὶ γὰρ οὖν κείνην ἴσον*
*ἐπαιτιῶμαι τοῦδε βουλεῦσαι τάφου.**)

ἐπαιτιῶμαι regit genetivum *τοῦδε τάφου*, cui infinitivus *βουλεῦσαι* adicitur.

Ph. 81. *ἀλλ' ἡδὺ γάρ τι κτῆμα τῆς νίκης λαβεῖν.*

Sophocles hoc quoque loco constructiones *ἡδὺ γὰρ κτῆμα τὴν νίκην λαβεῖν* et *ἡδὺ γὰρ τὸ κτῆμα τῆς νίκης* permiscuit.

Saepe in graeca lingua *δίδωμι* cum *ἔχειν* coniungitur, quod apud Sophoclem legitur:

OC. 231. *πόνον ἀντιδίδωσιν ἔχειν.*

Similia exempla exstant:

Ph. 316. *δοῖεν ἀντίποινα παθεῖν.*
El. 210. *ποίνιμα πάθεα παθεῖν πόροι.*
Ai. 1199. *ἐκεῖνος οὔτε στεφάνων*
οὔτε βαθειᾶν κυλίκων
νεῖμεν ἐμοὶ τέρψιν ὁμιλεῖν,
οὔτε γλυκὺν αὐλῶν ὄτοβον,
δύσμορος, οὔτ' ἐννυχίαν τέρψιν ἰαύειν.

Haud absque re esse puto frg. 347, 2 (68, 2) commemorare, ubi legimus *λέβητας ἐκτιθεὶς φέρειν.*

Ut verbis dandi infinitivus *ἔχειν* vel similis, ita verbis mittendi infinitivus verbi alicuius veniendi abundanter additur:

Ph. 1348. *ὦ στυγνὸς αἰών, τί μ' ἔτι δῆτ' ἔχεις ἄνω*
*βλέποντα κοὐκ ἀφῆκας***) *εἰς Ἅιδου μολεῖν.*

Duobus locis infinitivus *λαβεῖν* simili modo adhibetur:

Ant. 439. *ἀλλὰ πάντα ταῦθ' ἥσσω λαβεῖν*
ἐμοὶ πέφυκεν τῆς ἐμῆς σωτηρίας.
El. 1016. *προνοίας οὐδὲν ἀνθρώποις ἔφυ*
κέρδος λαβεῖν ἄμεινον οὐδὲ νοῦ σοφοῦ.

Iam finita est disputatio de infinitivo epexegetico. Ex exemplis allatis efficitur, Sophoclem aeque atque Euripidem

---

*) *βουλεῦσαι* falsum esse iudicans Nauckius scribit *κοινωνεῖν.*
**) *ἐφῆκας* coniecit Herwerdenus exerc. crit. p. 122.

infinitivum istum epicorum poetarum more permultis locis usurpasse multoque saepius quam Aeschylum.

Nunc nos ad perquirendum eorum infinitivorum usum vertamus, qui subiecti partes tuentur, sive in oratione recta locum habent sive in oratione obliqua.

V. De infinitivo subiecti vice fungenti.

Hi infinitivi, ad quos tractandos nunc aggredimur, ab iis de quibus adhuc disputavimus eo differunt, quod longius a pristina sua natura atque vi abscesserunt. Ex obliterato casu substantivi etsi exorti, ut in romanicis germanicisque linguis ita in graeca quoque sensim gradatimque non modo ad verbi notionem inclinaverunt, sed etiam ad substantivi significationem rursus prope accesserunt, ut fieri posset, ut subiecti locum obtinerent. In Homeri carminibus uno loco infinitivo particula *ἠέ* cum substantivo coniuncto subiecti partes impertitae sunt Il. *κ*. 174:

παντέσσιν ἐπὶ ξυροῦ ἵσταται ἀκμῆς
ἢ μάλα λυγρὸς ὄλεθρος Ἀχαιοῖς ἠὲ βιῶναι.

(ad quem locum L. Meyerus l. l. p. 29 adnotat: „dass trotz des *ὄλεθρος* der Infinitiv *βιῶναι* nur scheinbar Subiect sei“.)

Ut Meyerus ita Karstensius infinitivum subiecti munere fungentem non seiunxit ab eo, qui obiecti partes agit, quae distributio in Sophocleis infinitivis tractandis necessaria mihi videtur esse. Liceat autem quaestionem de infinitivo subiecti locum habenti instituendam in duas partes ita distribuere, ut prius agam de iis infinitivis, qui substantivi significatione induta verbum cuiuslibet notionis praedicati loco sibi asciscunt, ut subiecti vis maxime eluceat, deinde de iis, apud quos vox aliqua impersonaliter ursurpata praedicati munus sustinet.

1. De infinitivis, qui subiecti naturam luculentissime assumpserunt.

Ad hunc infinitivi usum perlustrandum proficiscendum

est ab infinitivis cum substantivis arte cohaerentibus, cuius modi tria exempla indagavi:

OC. 607. μόνοις οὐ γίγνεται
θεοῖσι γῆρας οὐδὲ καταθανεῖν ποτε.

Ibid. 954. θυμοῦ γὰρ οὐδέν γῆράς ἐστιν ἄλλο πλὴν
θανεῖν.*)

Tr. 132. μένει γὰρ οὔτ' αἰόλα
νὺξ βροτοῖσιν οὔτε κῆρες
οὔτε πλοῦτος, ἀλλ' ἄφαρ
βέβηκε, τῷ δ' ἐπέρχεται
χαίρειν τε καὶ στέρεσθαι.

Hi duo postremi infinitivi respondent chiasmo efficaciter formato substantivis praegressis πῆμα et χαράν v. 119.

His infinitivis cum substantivis coniunctis alios nudos annectam:

Ai. 641. οἵαν σε μένει πυθέσθαι
παιδὸς δύσφορον ἄταν.

El. 264. κἀκ τῶνδ' ἄρχομαι, κἀκ τῶνδέ μοι
λαβεῖν θ' ὁμοίως καὶ τὸ τητᾶσθαι πέλει.**)

Ant. 233. τέλος γε μέντοι δεῦρ' ἐνίκησεν μολεῖν.

Hic nobis addendum est „der Entschluss."

OC. 1224. μὴ φῦναι τὸν ἅπαντα νι-
κᾷ λόγον· τὸ δ' ἐπεὶ φανεῖ,
βῆναι κεῖθεν ὅθεν περ ἥ-
κει, πολὺ δεύτερον, ὡς τάχιστα.

„Non nasci omnem rationem vincit" = „es ist bei weitem das Beste."

Tr. 453. ὡς ἐλευθέρῳ
ψευδεῖ καλεῖσθαι κὴρ πρόσεστιν οὐ καλή.

---

*) Scholiasta hunc locum ita explicat: οὐκ ἔστι θυμοῦ κρατῆσαι ἄνθρωπον ὄντα. οὐ καταγηράσκει δὲ καὶ ἀποσβέννυται τὸ ὠμὸν τοῦ θυμοῦ, εἰ μὴ ἐξέλθοι τοῦ βίου ὁ ἄνθρωπος. Non recte Nauckius cum Blaydesio hos versus eicere mihi videtur adnotans „sie enthalten eine hier ungehörige Sentenz."

**) Blaydesius articulum τό infinitivo λαβεῖν anteponi vult, quod metro repugnat.

Casus dativus assimulatus est ut OR. 1209, cf. Krueger Gram. § 55, 2, 5.

Uno loco habemus accusativum cum infinitivo:

Ant. 720. φήμ' ἔγωγε πρεσβεύειν πολὺ
φῦναι τὸν ἄνδρα πάντ' ἐπιστήμης πλέων.

Subiecto omisso accusativus participii infinitivo additus est El. 1005:

λύει γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν οὐδ' ἐπωφελεῖ
βάξιν καλὴν λαβόντε δυσκλεῶς θανεῖν.

2. De infinitivo apud quem vox impersonalis praedicati locum obtinet.

In hac quaestione tractanda quattuor species discernendae sunt; nam praedicati munus impertiri potest:

a. verbis impersonalibus vel passivi generis,
b. substantivis abstractae significationis, sive haec cum copula ἐστίν aut alio verbo auxiliari coniuncta sunt, sive copula a poeta omissa est,
c. neutris adiectivorum,
d. adverbiis, quae cum verbo aliquo coniuncta vi aequant vocem aliquam impersonalem.

a. Praedicati vice funguntur verba impersonalia vel verba passivi generis.

Haec verba impersonalia inveni, quibus infinitivus subiecti loco sese applicat: δεῖ, δεῖται, χρή, ἐστίν (comp. παρά, ἐν, μετά, ἐξ), ἐκπέλει, πρέπει, ἥκει (πρός), ἁρμόζει, συμφέρει, ἀρκεῖ (κατά), μέλει, ὑπάρχει, γίγνεται, δοκεῖ. Haec verba passivi generis: δέδοκται, δεδογμένα ἐστίν, ὀφείλεται, λέγεται, τεθέσπισται, ἐκκεκηρύχθω.

Usitatissimus est infinitivus apud verba debendi δεῖ et χρή. Apud δεῖ nudus infinitivus reperitur: Ph. 11. 428. Tr. 479.*) 817. OR. 406. OC. 494. 509. 1022. 1148. Ant. 312. frg. 736, 4 (770, 4). Multo saepius acc. c. inf. exstat, qua in constructione exceptis tribus locis OR. 1528. frg. 614 (609).

---

*) Articulus τό coniungendus est cum πρὸς ἐκείνου, non cum infinitivo λέγειν.

frg. 849, qui praecepta in universum valentia exhibent, semper pronomina subiecti locum obtinent; prima persona legitur: Ph. 1397. El. 339. 814. 1037. 1504. OR. 619. 825. 896. 958. 1334. OC. 22. 1032. 1776.*) Ant. 75. Ai. 393. Facile suppletur subiectum Ph. 286. 102. Altera persona *σε* subiecti partes agit: Ph. 50 et 53.**) 587. 915. 982. 998. El. 957.***) Tr. 1175. OC. 1420. frg. 18 (11). 293 (295).†) 627 (622). Tertia persona *αὐτόν* exstat: Ph. 580. *αὐτὸ τοῦτο* Ph. 77.††) *ταῦτα* Ph. 1339. Uno loco imperfectum *ἔδει* cum acc. c. inf. constructum significat, aliquod fieri non debere, quod re vera fit Ph. 418, ubi infinitivo particulam negativam *μή* appositam invenimus, cum aliis locis, si infinitivus negationem exhibet, *οὐ* legatur. Haud raro infinitivus omissus est, ubi ex praecedentibus verbis facile suppletur: Ph. 379. 583. 909. OR. 627. 1185. OC. 172. Ant. 679. Tr. 337. Commemorandum denique est, *δεῖ* apud Sophoclem duobus locis coniungi cum accusativo personae et finali sententia (*ὅπως*) Ai. 556 (ubi cf. Schneidewini adn.). Ph. 54.

Duo loci proferendi sunt, ubi interpretes nonnulli *δεῖ* cum infinitivo constructum esse statuunt, quod equidem non probo: OC. 721, ubi traditum est:

νῦν σοι τὰ λαμπρὰ ταῦτα δὴ φαίνειν ἔπη.

Sic cod. Laur., *δεῖ* pro *δὴ* praebent libri deteriores. *σοι . . . δεῖ* tenuerunt Neuius et Hermannus; sed *δεῖ* apud Sophoclem nullo loco cum dativo et infinitivo construitur, quae constructio etiam apud alios poetas tragicos rarissime invenitur; *σοι . . . δὴ* nimis artificiose defendit Bellermannus. Itaque Nauckii emendationem *σὸν . . . δὴ* comprobo.

---

*) vv. 1768—1779 spurios esse contendit Nauckius.

**) vv. 50 sqq. interpolatione corruptos indicat Nauckius.

***) v. 957 delevit Wunderus; sed cf. Wolffii adn.

†) Certe hoc loco pro tradito *δεῖται* legendum est *δεῖ*, cf. Lobeck in Phryn. p. 178.

††) vv. 75—78 E. A. Richter non recte interpolatos duxit.

Ant. 1098 codices praeter Laurentianum sic exhibent:

εὐβουλίας δεῖ, παῖ Μενοικέως Κρέον.

Laurentianus non *Κρέον* sed *λακεῖν* vel *λαβεῖν* praebet, quod certe ex v. 1094 errore illatum est. Editores recentiores *Κρέον* in textum receperunt.

Semel *δεῖται* cum dativo et infinitivo coniunctum invenimus:

OC. 569. *Θησεῦ τὸ σὸν γενναῖον ἐν σμικρῷ λόγῳ*
παρῆκεν ὥστε βραχέ' ἐμοὶ δεῖσθαι φράσαι.

Fellmannus l. l. p. 63 *δεῖσθαι* in *δεῖ σοι* commutari iubet; iniuria opinor, nam hoc loco post *παρῆκεν ὥστε* infinitivus desideratur; praeterea constructionem dativi cum infinitivo post *δεῖ* Sophocles, ut iam supra dixi, non adhibuit. Hartungius *ἐμοί* in *ἐμοῦ* mutato vocem *σε*, cui subiecti munus tribuendum sit, subaudiri vult „so dass du nur eine kurze Erwähnung von mir begehrst,“ qua in mutatione ipsum illud *σε* omissum me offendit. Sententia lectionis traditae, quam equidem cum Dindorfio aliisque servandam esse arbitror, multo aptior mihi videtur quam Hartungianae lectionis. Longius recedit a codicum scriptura id quod O. Hensius proposuit *βραχέ' ἐμοὶ φράσαι πάρα* et quod Nauckius vult *βραχέ' ἐμοί γ' ἀρκεῖ φράσαι*, quae mutationes eandem fere sententiam praebent quam id quod nobis traditum est.

Creberrime *χρή* cum infinitivo nobis occurrit; ac primum ea exempla afferam, quae nudum infinitivum praebent: Tr. 385. 390. 494. 598. 1155.*) 724. 969. Ai. 457. 734. Ph. 451. 897. El. 16. OR. 235. OC. 171. 268. 1037. 1117. 1517. 1693. 1753. Ant. 61. 639. 884. 887.**) 1099. 1334. 1335.

---

*) Versum sequentem, qui infinitivum ad *χρή* pertinentem continet, deleri vult Nauckius.

**) Sic traditum est: *εἴτε χρὴ θανεῖν, | εἴτ' ἐν τοιαύτῃ ζῶσα τυμβεύειν στέγῃ.* Haec scriptura defendi nequit; nam cum infinitivus *τυμβεύειν* cum *χρή* construendus sit, accusativum *ζῶσαν* exspectamus subiecto subaudito, non nominativum *ζῶσα*. Atque *ζῶσαν τυμβεύειν* a multis scribi Triclinius adnotavit, sed haec lectio a metro abhorret; *ζῶσα τυμβεύει* exstat in uno apographo, quae emendatio ad sententiarum nexum prorsus accommodata

1348. frg. 82, 1 (105, 1). 238, 1 et 3 (236, 1 et 3). 338, 1 (337, 1). 532, 1 (520, 4). 583, 1 (572, 1). 841 (665). Nec minus frequenter invenimus constructionem accusativi cum infinitivo apud *χρή*, ubi pari modo atque apud *δεῖ* semper pronomina subiecti locum obtinent exceptis iis locis, qui praecepta ad omnes homines spectantia continent. Prima persona subiecti partes agit hisce locis: Ph. 135. 949. 999. 1359. Ant. 89. 734. 922.*) OR. 555. 669. 791. 823. 1110. 995. OC. 476. 594. 654. 812. 1521. 1711. Tr. 53. 162. 176. 393. El. 812. Altera persona: Ai. 281. 479. 1077. 1348. 1352. OR. 342. OC. 80. El. 529. Ph. 504 et 6. 1052. 1363. Tr. 114 250. 749.**) 798. 1193. frg. 350 (66). *σε* facile ad accusativum praedicative usurpatum suppletur frg. 140 (148). Tr. 592. OC. 477, quo postremo loco *χρή* quoque ex versu praecedenti petendum est. Pari modo altera persona numeri pluralis subauditur ad participii accusativum OC. 1640.***) Pronomina tertiae personae exstant: *αὐτόν* Ph. 430. El. 578.†) *σφέ* Ph. 200. Tr. 166.††) *ὅν* OK. 854. *ὅ τι* frg. 528,4 (515, 4). *τάσδε* Ant. 478. *τινά* OR. 819, ubi ex antecedenti *ἔξεστιν* ... *τινά* subaudiendum est *χρή* ... *τινά* (cf. ibid 241 *ἀπαυδῶ* ... *αὐδῶ* et OC. 1404). Uno loco *πάντας* subiecti vices tuetur El. 981. Praecepta in universum data utuntur accusativo

est; quare non opus esse mihi videtur audacioribus coniecturis Hermanni (*εἰ χρῄζει*), Reiskii (*νυμφεύσει*), Morstadtii (*νυμφεύειν*), quod postremum Nauckius comprobat, cf. Mélanges Gréco-Rom. IV. p. 211. De hoc loco v. Ellendt lex. Soph. s. *τυμβεύω*.

*) vv. 922. 923 Nauckius pro spuriis habet.

**) Verba *εἰ χρὴ μαθεῖν σε* Nauckio displicent.

***) Cum Dindorfio lectionem codicis Parisini *φρενὶ φέρειν* (Laur.) pro genuina habeo.

†) Codices exhibent *χρεῖ' ἢ σφε*, quod mutandum est in *χρείη σφε* pari modo atque aliis locis *χρεῖ' ἦ* in *χρείη*. vv. 166—169 interpolatos esse arbitratur Nauckius, Dobreus quoque v. 166 pro spurio habet.

††) Dindorfius eicit vv. 1505—1507.

cum infinitivo hisce locis: Ai. 1380. El. 1505.*) frg. 104,5 et 6 (94,5 et 6). 528,1 (515,1). 876 (749). Semel dativus cum infinitivo usurpatus est Ant. 736,**) si quidem recte se habet librorum scriptura.

Nonnunquam infinitivus ex sententiarum nexu supplendus est ut OR. 1184 sq.

Non huc referendus est OC. v. 48, ubi sic legimus:

πρίν γ' ἂν ἐνδείξω, τί δρῶ.

Reisigius et Hermannus scripturam paucorum apographorum *τί δρᾶν* (scil. *χρή*) receperunt ellipsin statuentes; sed hanc scripturam reiciendam esse nunc inter omnes constat.

Transgrediamur ad verba *ἐστίν* et composita. Illud, quod significat, aliquid fieri posse, „*δυνατόν, οἷόν τ' ἐστίν*,“ semel cum nudo infinitivo constructum invenimus OC. 1677, quo de loco p. 29 egi. Omnibus reliquis locis dativus cum infinitivo legitur: Ai. 942. 1417. OR. 1339. OC. 600. 789. 1344. 1670. Ant. 692. frg. 510,1 (501,1). frg. 753,4 (719,4). Duobus locis *ἐστίν* subaudiendum est:

Ph. 852. *οἶσθα γὰρ ὧν αὐδῶμαι,*
εἰ ταύταν τούτῳ γνώμαν ἴσχεις
μάλα τοι ἄπορα πυκινοῖς ἐνιδεῖν πάθη.

Sententia, si quidem sanus est postremus versus (non respondet versus strophicus), haec mihi videtur esse: si Neoptolemus Philoctetae obsequatur, aut secum eum ducens aut in insula versans, fore ut multi difficultatibus afficiantur capiantque detrimentum. Me igitur iudice supplendum est *ἐστίν*, quod cum dativo *πυκινοῖς* et infinitivo *ἐνιδεῖν* coniungendum est.

Alter locus, ubi *ἐστίν* subaudiendum est, in eadem fabula v. 1165 sq. exstat, quos versus codices sic tradunt:

ἀλλὰ γνῶθ' εὖ γνῶθ', ὅτι σοὶ
κῆρα τάνδ' ἀποφεύγειν.

*) Dindorfius eicit vv. 1505—1507.

**) Complures editores cum Dobreo scribunt *ἄλλῳ γὰρ ἦ ἐμοί* (vel *ἦ μοι*) *χρή με τῆσδ' ἄρχειν χθονός*; tradita lectio *ἄλλῳ γὰρ ἤ μοι χρή γε τῆσδ'* certe quod ad sensum attinet mihi simplicior videtur esse. Cf. Ellendt lex. Soph. s. *χρή* p. 788. Bonitz Beiträge II. p. 54 sqq.

Apud hunc dativum *σοί* subaudiendum est *ἐστίν* simili fere sensu atque in priore exemplo „dass es dir möglich ist . . zu entrinnen." Sed hic quoque mendum videtur latere: aut cum Dindorfio *ὅτι σὸν* aut cum Seyffertio *ἐπὶ σοὶ* scribendum existimaverim.

Saepe invenitur *οὐκ ἔστιν*, quod significat *οὐχ οἷόν τ' ἐστίν*; iungitur cum nudo infinitivo Ph. 768. OR. 1253. OC. 755. 1175, cum dativo et infinitivo OR. 849. Tr. 1022. Ph. 69,*) cum acc. c. inf. semel Ant. 669. *πρός τινός ἐστιν*, quod vi aequat nostrum „es kommt zu, es ist die Sache jemandes," nudum infinitivum sibi adiungit El. 401; *ἐστίν* in hac structura omittitur Ai. 319. 581. frg. 296. Praecipue notandus est Ai. v. 1071, ubi subiectum infinitivi animo supplendum est ad accusativum appositionis instar usurpatum.

Ut *εἶναι* ita composita saepe infinitivum pro subiecto sibi asciscunt. Ac primum *πάρεστιν* cum nudo infinitivo consociatum legitur: Ph. 644. 1420. El. 307. 1300. Tr. 60. Ai. 1081. Ant. 1293. frg. 281. dat. c. inf.: Ph. 9. 364. 667.**) Tr. 224. Ai. 432. 1160.***) El. 959 et 961. Singularis est ratio loci qui est OC. 1582:

οὔθ' ὁ μῦθος ἐν βραχεῖ
φράσαι πάρεστιν,

ubi personalis constructio adhibita est, quae ratio dicendi Euripideis quoque exemplis confirmatur velut Alc. 279.

Participium *παρόν* absolute dictum nudum infinitivum sibi adiungit bis Ph. 1098. frg. 323 (321). Infinitivus facile suppletur frg. 140,3 (148,3). Omisso *ἐστίν* coniungitur *πάρα* cum nudo infinitivo: El. 285. 788. Ai. 904. 982. OC. 1504. Ant. 1179, cum dativo et infinitivo Ai. 1010, cum accusativo

---

*) vv. 66—69 Nauckio suspecti videntur.

**) Verba *ταὐτά σοι καὶ θιγγάνειν καὶ δόντι δοῦναι* pro spuriis habet O. Hensius Stud. p. 6 sqq.

***) *παρῇ* exhibet codex Laur. et Stob. Flor. 2, 28, *πάρα* cod. Parisinus aliique libri deteriores.

cum infinitivo Ai. 708. Ant. 1097,*) quo posteriore loco (si recte se habet) subiectum ex accusativo participii facile suppletur.

ἔνεστι cum dativo et infinitivo exstat Ph. 1270. Tr. 296. Ant. 213.**) El. 876.

μέτεστι cum dativo et infinitivo constructum, quod significat „das Recht haben", legitur El. 536. Eodem sensu *μέτα* cum dativo et infinitivo iungitur Ant. 48.

Multo saepius infinitivum apud *ἔξεστι* invenimus; ac primum nudus infinitivus legitur El. 595. Ai. 1125. OC. 83. 323. Ph. 1032.***) frg. 194,1 (204,1). frg. 736,5 (779,5), dativus et infinitivus: El. 2. 912. Ai. 346. 1101. 1328. 1373. OR. 817. 1402. Ant. 507.†) frg. 64,2 (65,2). Participium *ἐξόν* absolute usurpatum semel cum infinitivo coniungitur, cuius subiectum supplendum est ad praedicatum, quod casu accusativo utitur El. 365. Idem quod *ἔξεστι* significat *ἐκπέλει* Ant. 478, ubi ad infinitivum subiectum ex sequenti enuntiato relativo intellegendum est.

Cognatum his verbis est *πρέπει*, quod iungitur cum nudo infinitivo El. 639. Tr. 1126. Ant. 92. Ph. 111. OC. 1586, quo loco postremo participium *πρέπον* legitur. Accusativum cum infinitivo habemus Tr. 728. frg. 285 (293 b). frg. 862 (686). Uno loco infinitivus supplendus est Ph. 1227.

Pari modo atque *πάρεστιν* (v. supra) semel *πρέπει* personaliter construitur ita, ut nos infinitivum passivi generis exspectemus, poeta autem activum genus retineat El. 1254.

Eandem fere significationem habet *ἥκει*, quod dativum et infinitivum sibi adiungit OC. 738, qua constructione compositum quoque *προσήκει* semel utitur El. 1213.

---

*) Cf. adn. Dindorfii. Nauckius, qui cum Musgravio *πάρα* in *πέρα* mutari vult, hanc scripturam proponit: *ἄτῃ παλαῖσαι δεινὰ καὶ δεινῶν πέρα.* Locum corruptum esse veri simile est.

**) Dindorfius coniecit *πάρεστι* vel *μέτεστι*, fort. recte.

***) Librorum scripturam *εὔξεσθ'* Piersonius recte commutavit in *ἔξεστ'*.

†) A. Jacobs offendit in vv. 506. 507, quos Nauckius Euripidi tribuit.

His verbis adde ἁρμόζει, cui acc. c. inf. appositus est Tr. 731. συμφέρει cum nudo infinitivo iunctum El. 1438. Apud ἀρκεῖ, quod significatione aequat latinum „suppetit" vel „satis est", nudus infinitivus legitur frg. 119 (124). dat. c. inf. 1242. acc. c. inf. Ai. 80. OC. 295. ubi praeterea verbo dativus personae additus est, quo is significatur, cui id quod infinitivus exprimit suppetit. Compositum καταρκεῖ cum nudo infinitivo consociatur frg. 84, 1 (107, 1).

Porro: μέλει semper praeter infinitivum sibi adiungit dativum personae, cui aliquid cordi est: El. 74. Ai. 701. OR. 377. Participium μέλον invenitur El. 459. ὑπάρχει (contingit, ut) cum accus. c. inf. nobis occurrit El. 1340. Uno loco apud γίγνεται nudus infinitivus exstat: El. 1189. acc. c. inf. Ai. 378. Denique δοκεῖ commemorandum est, quod semper cum dativo et infinitivo iungitur: Ph. 551. 888. El. 335. Tr. 369.

Nonnullis locis etiam verba passivi generis infinitivum pro subiecto sibi asciscunt: δέδοκται, cui eadem fere significatio subest atque voci δοκεῖ, cum dativo et infinitivo construitur Ph. 1274, cum acc. c. inf. Tr. 719. δεδογμένα (scil. ἐστίν) cum acc. c. inf. nobis occurrit Ant. 576. ὀφείλεται bis cum dat. et inf. Ph. 1421. El. 1173,*) semel cum acc. c. inf. frg. 210 (216, 2). λέγεται uno loco invenitur cum nudo infinitivo iunctum Ph. 199, ubi monendum est, in uno eodemque versu duos infinitivos subiecti munus suscipere; nam verbo λέγεται infinitivus χρῆναι sese applicat et huic infinitivus δαμῆναι.

τεθέσπισται, quod verbum ex versu praegresso facile repeti potest, semel acc. c. inf. assumit OC. 389. Denique ἐκκεκηρύχθω proferendum est, quod acc. c. inf. sibi asciscit Ant. 203, quo de loco supra p. 20 accuratius disserui.

b. Praedicati vice fungitur substantivum aliquod abstractae significationis.

Substantiva praedicati locum obtinentia quotquot apud Sophoclem indagavi hoc ordine proferam, ut primum ea

*) Hunc versum delevit Bergkius Ztschr. f. alt. Wiss. p. 962.

enumerem, quorum loco verbum impersonaliter usurpatum vel in passivo genere positum potest substitui; quo in numero ponenda videntur esse substantiva cum copula ἐστίν aut γίγνεται coniuncta χρεών, ἀνάγκη, θέμις, pro quibus χρή vel δεῖ vel simile verbum usurpari potest, deinde substantivum λόγος, quod cum ἐστίν consociatum verbum λέγεται significatione aequat.

χρεών, cui copula nullo loco addita est, invenitur cum nudo infinitivo Ph. 143. 768. Tr. 67. 174. 749. El. 273. 1252. OR. 633. frg. 521, 12 (517, 12). cum acc. c. inf. Ph. 1439. El. 983. 1105. OR. 1488. 1502. OC. 928. 1153. Ai. 520. frg. 523 (521). frg. 227, 3 (234a, 3), quo loco postremo subiectum suppletur ex accusativo participii apud infinitivum locum habenti.

ἀνάγκη cum nudo infinitivo iungitur: frg. 462, 2 (447, 2). 615, 3 (611, 3). 845, 2 (669, 2), cum acc. c. inf. Tr. 231. Ph. 1340. OC. 605. πᾶσ' ἀνάγκη uno loco nudum infinitivum sibi asciscit OR. 986, uno acc. c. inf. El. 1497. πολλή 'στ' ἀνάγκη vel πολλή 'στ' ἀνάγκη cum nudo infinitivo construitur OC. 292. El. 309, cum acc. c. inf. Tr. 295.*) Infinitivus facile intellegitur OC. 655: cf. adn. Schneidewini et Bellermanni. θέμις nudum infinitivum sibi adiungit: OC. 1641. Ant. 1259. El. 565,**) dativum personae et infinitivum Ph. 812. Ant. 880. El. 127. OC. 1556. frg. 856, 14 (678, 14). 861 (683). accusativum cum infinitivo OC. 1191, quo de loco p. 30 disserui; eadem constructio etiam apud θέμις γίγνοιτο invenitur Ph. 346.

Denique huc adde ἐξουσία πάρεστιν (= πάρεστιν) cum dativo et infinitivo iunctum frg. 86, 11 (109, 11). λόγος ἔστιν pro λέγεται exstat cum acc. c. inf. Ph. 164 et 168. OR. 1176. OC. 133. El. 417 sqq., quo postremo loco λόγος τις ἔστιν legitur.

*) Wunderus, Dindorfius, Nauckius hunc versum eiciunt.

**) verba κείνης γὰρ θέμις μαθεῖν abesse vult Nauckius, totum versum O. Jahnius et Schenkelius.

Ut ad alia substantiva transgrediar, haec repperi. quibus infinitivus subiecti loco adicitur: *ἔργον, πόνος, γέλως, ἀλκή, ἀπειλή, βλάβη, ὄνειδος, ἄλγος, θάνατος, πλοῦτος, εὐσέβεια, καιρός, κερτόμησις, κέρδος, τέρψις, νόμος, ὥρα, θαῦμα, μοῖρα.*

ἔργον τινός ἐστιν, quod significat, negotium vel officium alicuius esse (sive „esse alicuius“), occurrit cum nudo infinitivo Ant. 730, cum accusativo c. inf. Ai. 11 et 852, ubi copula omissa est, *ἔργον σόν* cum nudo infinitivo Ph. 15. Et casum genetivum et infinitivum sibi adiungit *ἔργον* El. 1372:

οὐκ ἂν μακρῶν ἔθ' ἡμὶν οὐδὲν ἂν λόγων,
Πυλάδη, τόδ' εἴη τοὔργον, ἀλλ' ὅσον τάχος
χωρεῖν ἔσω, πατρῷα προσκύσανθ' ἕδη κτλ.

Constructio haec mihi videtur esse: *τόδε τὸ ἔργον οὐκ ἔτι ἂν ἡμῖν εἴη ἔργον μακρῶν λόγων, ἀλλ' ὅσον τάχος χωρεῖν εἴσω ἔργον*; infinitivus igitur *χωρεῖν* coniungendus est cum *ἔργον*, quod repetendum est ex praegressis verbis.

Ut latine „negotium“ abest, ita Sophocles non modo *ἐστίν* sed etiam *ἔργον* omisit: Ph. 1140 sq.*) OR. 278. 393. OC. 1430. frg. 836 (661), quibus omnibus locis nudus infinitivus legitur. Denique commemorandum est *σόν* absolute dictum OC. 721, cuius versus iam supra p. 59 mentionem feci; praeter hoc exemplum nullum inveni, ubi infinitivus tali modo apud pronomen possessivum locum tenet, qui usus apud Aeschylum et Euripidem non rarus est; neque enim cum exemplis ex his poetis tragicis petitis comparandus est Electrae versus 1470, ubi ad verba *οὐκ ἐμὸν τόδ' ἀλλὰ σόν* infinitivus articulo instructus epexegetice accedit, cf. p. 91.

Aliis substantivis praedicati vices tuentibus plerumque nudus infinitivus adicitur: *πόνος περισσός* Ant. 780. *γέλως ἥδιστος* Ai. 79. *τίς ἀλκή* Ant. 1030. *τίς ἔστ' ἀπειλή* Ant. 753. *πλείστη βλάβη* Ant. 1051. *τίς βλάβη* OC. 1187. *αἰσχρὸν ὄνειδος*

*) v. 1140 corruptus videtur esse; traditam scripturam explicare studuit Hermannus.

Ph. 842. *ἄλγος* dativo addito Ant. 465.*) *θάνατος* OC. 529. *δεινὸς πλοῦτος* frg. 86, 6 (109, 6). *εὐσέβειά τις* Ant. 872.**) *καιρός* El. 22.***) 1368. OR. 1513,†) dativum appositum invenimus OC. 826. *κερτόμησις* Ph. 1236. *κέρδος* Tr. 988. *κέρδος τί* cum acc. c. inf. construitur Ph. 112. *τέρψις* cum dativo et infinitivo iungitur OC. 766, *τίς αὕτη τέρψις* cum nudo infinitivo ibid. 775, *νόμος* cum dativo et infinitivo frg. 122, 2 (132, 2). Constructionem accusativi cum infinitivo habemus apud haec substantiva: *ὥρα* Ai. 245. *κάλλιστος πόνος* OR. 315. *θαῦμα* OR. 1319. *μοῖρα* OR. 376 et OC. 1546, quo altero loco dat. c. inf. legitur.

c. Praedicati partes agunt neutra adiectivorum vel pronominum.

Haec adiectiva infinitivum pro subiecto sibi adiungunt: *καλόν, κάλλιον, ἄμεινον, κρεῖσσον, κράτιστον, λῷστον, ἡδύ, ἥδιστον, γλυκύ, φίλον, εὔκαιρον, μέγα, αἰσχρόν, αἴσχιστον, ἔχθιστον, φλαῦρον, λυπηρόν, ἀλγεινόν, δεινόν, δυνατόν, οἶ-*

*) Traditum est *οὕτως ἔμοιγε τοῦδε τοῦ μόρου τυχεῖν | παρ' οὐδὲν ἄλγος· ἀλλ' ἄν, εἰ τὸν κτλ.* Nauckius offendens et in *ἄλγος* et in verbis, quae sequuntur, hanc scripturam commendavit: *παρ' οὐδέν· ἀλλ' ἄθαπτον εἰ τὸν ἐξ ἐμῆς μητρὸς κτλ.* Similia coniecit Tournierus. Me autem iudice codicum scriptura retinenda est; *παρ' οὐδέν* est adverbialiter dictum, quod saepius invenitur, ut Ant. 35. OR. 983. El. 1327. *ἄλγος* praedicati, infinitivus subiecti partes sustinet; id quod verba sibi volunt, ad sententiarum nexum prorsus aptum mihi videtur esse. (Alii *παρ' οὐδὲν ἄλγος* coniungunt.)

**) Codices exhibent *σέβειν μὲν εὐσέβειά τις*, quae verba Nauckio displicent, qui pro iis exspectat *σέβειν μὲν εὐσεβὲς νεκρούς* vel *σέβειν μὲν εὐσεβεῖς θέμις.* Non est offendendum in *σέβειν* absolute usurpato: cf. OR. 897. Significat *σέβειν* „revereri res divinas et instituta religione sancita,“ *εὐσέβεια* „pietas.“

***) Hunc locum pro spurio habet Schwerdtius, vv. 20—22 Schenkelius.

†) Locus huc pertinet, si corruptam codicum scripturam *οὗ καιρὸς ἀεὶ ζῆν, τοῦ βίου δὲ λῴονος* aut ita mutamus, ut cum ed. Aldina *τοῦ* expungatur, aut ita ut cum Meinekio *ᾗ* pro *ἀεὶ* scribamus. Dindorfius *ἀεὶ* in *ἐᾷ* mutavit.

ὄν τε, ἀμήχανον, ἀναγκαῖον, θεμιτόν, εἰκός, δίκαιον, θρασύ, ῥᾴδιον, ἴσον; adiectiva verbalia νεμεσητόν, ἀνασχετόν. Haec adiectiva in numero plurali posita sunt: δίκαια, ῥᾷστα, αἰσχρά, κακά, σχέτλια, κοινά, ἀνεκτά. Unum pronomen inveni ταὐτό.

Primum ea adiectiva proferam, quae numero singulari utuntur quaeque aliquid boni significant: καλόν El. 237. 398. 593.*) Ai. 586. 1347. OR. 1409. OC. 1001. Ph. 1155. frg. 142, 4 (152, 4). 325, 1 (323, 1). 852 (674, 6). Dativus additus est Ai. 1310. OC. 590. 1003. 1201. Ant. 72. Acc. c. inf. sequitur Tr. 552. frg. 81 (104). 320 (311). Comparativus κάλλιον cum nudo infinitivo occurrit OR. 55, item ἄμεινον El. 1238. OR. 1443. frg. 742 (884), κρεῖσσον Ant. 679. frg. 209, cum acc. c. inf. Tr. 1236. frg. 83, 1 (106, 1), quo posteriore loco subiectum infinitivi intellegendum est ex accusativo praedicative usurpato. Superlativus κράτιστον cum nudo infinitivo iungitur OR. 979, λῷστον cum dativo et infinitivo frg. 660, 1 (185, 1). ἡδύ nudum infinitivum sibi asciscit OC. 624. frg. 456 (450), dativum et infinitivum OC. 638 sq. frg. 372 (358), superlativus ἥδιστον nudum inf. Tr. 290. OR. 999. γλυκύ cum dat. et inf. iungitur OR. 1335. φίλον ita usurpatur Ai. 1400, ut dativus personae, cui aliquid iucundum est, addatur, et acc. c. inf. sequatur. εὔκαιρον legimus cum dativo et infinitivo coniunctum OC. 31,**) μέγα cum dativo et infinitivo, accusativo participii sequente Ant. 836, quo de loco pauca mihi dicenda sunt; codices sic tradunt:

καί τοι φθιμένᾳ μέγ' ἀκοῦσαι
τοῖς ἰσοθέοις ἔγκληρα λαχεῖν
ζῶσαν καὶ ἔπειτα θανοῦσαν.

Diu multumque disceptatum est de explicando et restituendo hoc loco, quem corruptum esse ex metro, quod constat ex anapaestis, apparet; nam unus dimeter abest in hoc systemate 834—838, quod quinque dimetros continet, cum respondens systema 816—822 sex complectatur; praeterea v. 836 non

*) v. 594, qui continet infinitivum ad καλόν spectantem, abesse vult Blaydesius.

**) Nauckius legi vult ὁ καιρός pro adiectivo εὔκαιρον.

idem prae se fert metrum quod respondens versus, et producta syllaba prima adiectivi ἰσοθέοις excitat dubitationem. Itaque ad hanc lacunam explendam et totum locum corrigendum variae coniecturae factae sunt, quas afferre et longum et absque re est. Verba φθιμένᾳ (vel φθιμένῳ), μέγ' ἀκοῦσαι, ἔγκληρα λαχεῖν non mutanda, sed transpositionibus vel additamentis sananda esse plerique consentiunt. Quod si recte se habet, constructio haec mihi videtur esse: subiecti vices tuetur infinitivus λαχεῖν cum τοῖς ἰσοθέοις ἔγκληρα coniunctus; praedicati munus impertitum est neutri generi adiectivi μέγας, cui infinitivus ἀκοῦσαι accuratioris definitionis causa adiectus est ita ut μέγ' ἀκοῦσαι significatione aequat voces μέγα κῦδος. Participia ζῶσαν καὶ θανοῦσαν spectant ad dativum φθιμένᾳ, qua in constructione nulla est offensio, cf. El. 479. OR. 350. Itaque non astipulor G. Wolffio qui ἀκοῦσαι sic intellegi vult, ut sit passivum genus verbi λέγω, hanc constructionem statuens: subiecti locum tenet ἀκοῦσαι, praedicati μέγα; ex ἀκοῦσαι pendet infinitivus λαχεῖν; in hac interpretatione propterea offendo quod ἀκούειν cum significatione „man sagt von mir" infinitivum apud Sophoclem regere nego; etsi Wolffius ad hunc usum confirmandum unum exemplum ex Herodoto petitum affert, tamen talem constructionem apud poetas tragicos frustra quaeras. Quare in interpretatione, quam supra protuli, acquiescendum videtur esse, quae neque dubitationes de significatione verborum neque de structura grammatica admittit.

His adiectivis alia annectam, quibus contraria significatio inest: αἰσχρόν Ant. 511. Ph. 108, dativo addito El. 989; acc. c. inf. exstat Ai. 473. 1159. Superlativus αἴσχιστον cum dativo et infinitivo iungitur Ai. 1161, ἔχθιστον cum nudo infinitivo El. 1007.*) φλαῦρον OC. 395. λυπηρόν cum dativo et infinitivo constructum invenimus OC. 1176, ἀλγεινόν cum nudo inf. Ant. 438, item δεινόν OR. 316. Ant. 323. OC. 510. Acc. c. inf. legitur frg. 104,1 sqq. (94,1). El. 341. 1039, quo loco extremo subiectum supplendum est ad accusativum participii.

*) vv. 1007. 1008 deleverunt Nauckius et Blaydesius.

Adiectiva alius significationis sunt: *δυνατόν* Ai. 162. 1006, quo altero loco dativus personae additus est, ad quem spectat accusativus participii v. 1007.*) *οἷόν τε* cum dativo et infinitivo iungitur OC. 1136, cum acc. c. inf. Tr. 742, *ἀμήχανον* cum nudo inf. Ant. 175, *ἀναγκαῖον* cum dativo et infinitivo Ph. 1317. *θεμιστόν* vel *θεμιτόν* nudum infinitivum sibi adiungit ex codicum scriptura OC. 1758,**) acc. c. inf. OR. 993. Cognatum huic adiectivo est *εἰκός ἐστιν*, quod „par, consentaneum est“ significat; omnibus locis acc. c. inf. legitur: El. 540. 659.***) 1488. OR. 250 sqq. OC. 342.†) frg. 747,2 (715,2). *ἐστίν* omissum est Ph. 230. Ant. 724. El. 1026. Ai. 1367. Infinitivus ex praecedentibus verbis facile potest intellegi Tr. 56. 368. Ph. 973.

Huc adde *δίκαιον* cum nudo infinitivo constructum OR. 609. Ph. 1247, cum dativo et infinitivo Tr. 52, cum acc. c. inf. Ai. 1344. Ph. 1319. frg. 612 (605). Apud adiectivum *θρασύ* nudus infinitivus legitur Ph. 106 et 107, quo in altero versu subiectum subaudiendum est ad accusativum participii. *ῥᾴδιον* nudum infinitivum sibi asciscit frg. 76 (99), acc c. inf. Ai. 1350 sq., *ἴσον* semel nudum inf. OR. 611. Denique huc referenda sunt adiectiva verbalia quae vocantur *νεμεσητόν* et *ἀνασχετόν*; illud sequitur accusativus cum infinitivo Ph. 1193, apud hoc subiectum supplendum est ad accusativum participii praedicative dicti Tr. 721.

Venio ad adiectiva in numero plurali posita, quibus *ἐστίν* numquam appositum est: Apud *δίκαια* uno loco inf. nudus Tr. 1116, duobus acc. c. inf. exstat Tr. 495. Ai. 1126, apud *ῥᾷστα* duplex constructio statuenda est, prius dativus tum accusativus cum infinitivo Ph. 1395. Adiectivum *αἰσχρά* acc. c. inf. secum habet Ph. 524, *κακά* inf. nudum Ai. 1235,

---

*) *ἀρήξαντ' ἐν* v. 1007 accusativus est, non dativus: cf. Elmsleius ad Heracl. 693.

**) Sed infinitivum *κεῖσε μολεῖν* recte delevit Bothius.

***) Hunc versum delet O. Jahnius.

†) vv. 337—343 pro spuriis habent A. Schoellius et Meinekius.

σχέτλια acc. c. inf. Ai. 887.*) Denique nudus infinitivus legitur apud *κοινά* Tr. 952 et *ἀνεκτά* OR. 429.

Et substantivum *θέμις* et adiectivum *ὅσιον* sibi adiungunt dativum et infinitivum El. 432.

Semel pronomen *ταὐτό* infinitivus subiecti loco sequitur Tr. 425:

ταὐτὸ δ' οὐχὶ γίγνεται
δόκησιν εἰπεῖν κἀξακριβῶσαι λόγον.

Denique, ut hanc quaestionem de infinitivo subiecti partes agenti constitutam ad finem perducam, nonnullorum mentio mihi facienda est locorum, ubi praedicati munus suscipit adverbium aliquod cum verbo coniunctum vel adverbialis phrasis.

d. Praedicati vice fungitur adverbialis phrasis.

Tres locutiones proferendae sunt, quae praedicati locum obtinent: *ἀναγκαίως ἔχει, εὐσεβῶς ἔχει, ἔστιν ἐν καλῷ.* Prima vox cum nudo infinitivo iungitur Tr. 723, altera cum dativo et infinitivo OR. 1423, tertia omissa copula cum inf. nudo El. 384.

VI. De infinitivo praedicati partes sustinenti.

In dissertationibus, quae sunt de infinitivis, huius infinitivi usus nullo loco commemoratio fit. Re vera rarissime infinitivo praedicati munus tribuitur idque plerumque si quid in universum definitur, cf. Kuehner gr. Gram. § 472 p. 575.

Apud Sophoclem duo investigavi exempla, ubi infinitivum praedicati vices tueri in aperto est; nudus infinitivus praedicati partes agit OC. 573:

ὥστ' ἔστι μοι τὸ λοιπὸν οὐδὲν ἄλλο πλὴν
εἰπεῖν ἃ χρῄζω.

Acc. c. inf. praedicati locum tenet Tr. 1172:

τόδ' ἦν ἄρ' οὐδὲν ἄλλο πλὴν θανεῖν ἐμέ.

Illic *τόδε*, hic *τὸ λοιπόν* subiecti munere fungitur.

Sequitur, ut eorum infinitivorum usum perquiramus, qui ab aliis orationis membris suspensi artissimeque cum iis coniuncti sunt. Quam quaestionem sic instituere mihi liceat,

---

*) vv. 886—888 Heathio et Nauckio suspecti videntur.

ut primum agam de infinitivis obiecti munere fungentibus, deinde de iis, qui nominis alicuius praegressi significationi accuratius definiendae inserviunt, ut indicetur, quatenus eius notio valeat, tum de infinitivis finali sensu usurpatis, denique de iis, qui ab *ὥστε* et *ὡς* particulis, a *πρίν* et ab *ὅσον* pendent.

VII. De infinitivo obiecti vice fungenti.

Ut infinitivus subiecti partes praedicatique suscipit, ita saepissime obiecti locum obtinet.

Ante omnia de iis infinitivis disserendum est, qui maxime obiecti naturam acceperunt, ut loco eorum substantiva usurpari possint.

1. De infinitivis, ex quibus obiecti natura atque vis maxime elucet.

Ut infinitivi subiecti partes tuentes vim subiecti ibi apertissime induunt, ubi cum substantivo aliquo coniuncti sunt, ita obiecti quoque munus suscipientes infinitivi obiecti naturam luculentissime assumunt, si cum vero obiecto arte cohaerent; cuius modi exemplum inveni Ant. 353:

καὶ φθέγμα καὶ ἀνεμόεν
φρόνημα καὶ ἀστυνόμους
ὀργὰς ἐδιδάξατο καὶ δυσαύλων
πάγων ἐναίθρεια καὶ
δύσομβρα φεύγειν βέλη.

Huic exemplo simile annectam, ubi non minus obiecti natura ex infinitivo elucet, cum verbum *τίθημι* duplici constructione utatur et accusativum adiectivi et infinitivum sibi asciscens:

OC. 1356. *τὸν αὐτὸς αὑτοῦ πατέρα τόνδ᾽ ἀπήλασας*
κἄθηκας ἄπολιν καὶ στολὰς ταύτας φορεῖν.

Duo deinde verba investigavi, quibus infinitivus sese applicat, ubi substantivum eiusdem significationis exspectamus:

Ph. 283. *εὕρισκον οὐδὲν πλὴν ἀνιᾶσθαι παρόν.*

Praeter *εὑρίσκω* uno loco *φιλεῖν*, quod si significat „inclinare ad aliquid“ vel „solere“ saepe cum infinitivo iungitur, principali natione servata infinitivumassu mit OC. 995:

εἴπερ ζῆν φιλεῖς.

Rarissime apud verba affectuum quae vocantur inveniuntur infinitivi, qui ipsi quoque sub hoc genus infinitivorum cadere mihi videntur. Ut *ἐλεαίρω* apud Homerum cum infinitivo iungitur Od. *v*. 202, sic Sophocles uno loco verbo *οἰκτείρω* infinitivum et accusativum personae apposuit Ai. 652:

οἰκτείρω δέ νιν
χήραν παρ᾽ ἐχθροῖς παῖδα τ᾽ ὀρφανὸν λιπεῖν.

Praeterea *θαυμάζω* item cum accusativo personae et infinitivo coniunctum exstat frg. 327,1 (325,1):

καὶ μή τι θαυμάσῃς με τοῦ κέρδους, ἄναξ,
ὧδ᾽ ἀντέχεσθαι.

Denique afferam *φθονῶ*, cui accusativus cum infinitivo adiungitur Ant. 553:

οὐ φθονῶ σ᾽ ὑπεκφυγεῖν.

2. De aliis generibus infinitivi obiecti loco positi.

In enumerandis exemplis huc pertinentibus eum ordinem sequamur, ut si unum idemque verbum diversis constructionibus utitur, primum nudum infinitivum afferamus, deinde de iis infinitivis disseramus, quorum subiectum in casu obliquo positum iam enuntiato primario continetur, tum constructiones accusativi cum infinitivo absolvamus. Praedicatum vel participium praedicative usurpatum si quod apud infinitivum locum habens ad subiectum verbi regentis aut ad nomen aliquod, quod in enuntiato primario exstat, referendum est, eodem casu uti atque nomen ad quod spectat ultro apparet; quamobrem ea tantummodo exempla praecipue notanda erunt, quae huic legi repugnant.

Totam autem disputationem ita instituere aptum visum, ut initium capiamus ab iis infinitivis, in quibus vestigia originis huius formae manifesta et aperta sunt, consecutivo vel finali sensu clare elucente, et inde progrediamur ad ceteros infinitivos obiecti partes agentes, qui postquam ista significatio periit, sensim pedetentimque nati sunt.

a. De infinitivis consecutiva vel finali vi instructis.

Primum locum sibi postulant verba, quae significant, aliquem hoc moliri, ut id quod infinitivus indicat ad effectum perveniat, cum ex his consecutiva notio maxime eluceat. Hunc in numerum referenda sunt primum verba efficiendi et facultatis dandae, deinde verba sinendi et impediendi, tum docendi, discendi, audendi.

Iam in medium procedant verba cum notione, quae est „efficere“: *ποιεῖν* regit acc. c. inf. Ph. 925. El. 623, itemque *ἀνύω* OR. 720. Et dativus et infinitivus pendent ex *προξενέω* OR. 1482.*) His verbis annumerare non dubito *καταρτύω*, cui OC. 71 infinitivum addi accusativo subiecti supplendo pro certo habeo; sic enim legendum esse censeo:

ὡς πρὸς τί λέξων ἢ καταρτύσων μολεῖν;

Ita cod. Parisinus et Suidas. Codex Laurentianus hoc loco non infinitivum *μολεῖν* sed optativum *μόλοι* exhibet, quae forma iam in versu praegresso legitur.

Utramque scripturam agnoscit scholiasta. Servato *μόλοι* hunc versum explicari non posse arbitror nisi nimis artificiose. Nec minus reicienda mihi videtur esse Dindorfii coniectura *παρῇ*, cum lectio *μολεῖν* bonis testimoniis nitatur atque is infinitivus a verbo *καταρτύω* pendens nihil habeat offensionis, si suppleas *αὐτόν* (= „um zu bewirken, zu veranlassen, dass er herkomme“).

Similis significatio subest verbo *σπεύδεσθαι* („festinate efficere“), quod hoc sensu semel nudum infinitivum Ai. 1165, semel acc. c. inf. assumit Ai. 804. Porro hunc in numerum ob eam causam referendum est *ἀξιοῦν*, cuius notio propria est „dignari,“ quia et ex hoc ipso verbo significatio elucere mihi videtur „aliquem versari in efficiendo eo obiecto, quod infinitivo continetur;“ hac notione instructum *ἀξιοῦν* nudum infinitivum sibi asciscit: OR. 1413. 1449. OC. 953. 1377.

*) Th. Gomperzius et M. Schmidtius mutaverunt *προὐξένησαν* in *προυσέλησαν*, quod Nauckius in editionem suam recepit. Sed cf. adn. Dindorfii et Bellermanni.

Tr. 410. El. 172. 1240. *ἐπαξιόω* El. 1274. Ph. 803. Pari modo *δικαιόω* usurpatur OR. 6. 575. 640. Tr. 1244. Ai. 1072.

Huc adde verba, quibus notio subiecta est, „facere, ut obtingat aliquid“ vel „potestatem concedere alicui“: et dativus personae et infinitivus pendent ex verbis *ἔπορον* OC. 1086. *δίδωμι* Ph. 66. OC. 1100. Ai. 483. frg. 692,2 (702,2); acc. c. inf. exstat OC. 869.*) In exemplis sequentibus id quod indicat *δίδωμι* propius accedit ad significationem verborum permittendi; nudum infinitivum legimus OC. 1105. Ph. 1341. Ant. 315. El. 1119; dativum et infinitivum OC. 640.**) 1287. Ai. 538. Ab hoc verbo tali significatione instructo facilis est transitus ad verba, quae proprie significant „permittere“, „veniam dare“. Dativus et infinitivus sese applicant verbo *ἐφίημι* El. 631. Ph. 619, acc. c. inf. El. 649,***) dat. et inf. *μεθίημι* El. 628, acc. c. inf. Ant. 653. *παρίημι* coniungitur cum nudo infinitivo Ant. 1043, cum dativo et infinitivo El. 1482. Similis notio subest verbo *παρέχω*, quod nudus infinitivus sequitur Tr. 1113, dativus et infinitivus Ai. 1146. Denique *ἐῶ* commemorandum est, cui nudum infinitivum additum invenimus: Ph. 820. 1055. El. 1482. Tr. 88.†) 815. Ai. 1131. 1364. 1394. acc. c. inf. El. 135. 630. 802. 966. Tr. 1005. OR. 1070. 1451. 1467. OC. 798. 948. 1182. 1544. Ant. 95. 697. Ph. 1369.††) 1397. Duobus locis subiectum infinitivi facile subauditur, altero Ai. 428 ex praecedenti accusativo, altero Ph. 768 ex praedicato infinitivo adiecto, quod ipsum quoque casu accusativo utitur.

*) Infinitivus *γηρᾶναι* pendet ex verbo *δοίη*; de assimilatione cf. Krueger gr. Gram. § 62, 4, 3.

**) Hunc versum et sequentum Dindorfius et Nauckius pro spuriis habent.

***) Legitur v. 648: *καὶ μή με πλούτου τοῦ παρόντος εἴ τινες | δόλοισι βουλεύουσιν ἐκβαλεῖν, ἐφῇς, | ἀλλ' ὧδέ μ' ἀεὶ ζῶσαν . . ἀμφέπειν τάδε*; supplendum igitur est ex *μὴ ἐφῇς* imperativus *ἐφές*, qui infinitivum *ἀμφέπειν* regit. Cf. Schneidewini adn. ad v. 72.

†) vv. 88. 89 delendos esse censuit Hermannus.

††) Hunc versum Nauckius spurium esse suspicatur.

Priusquam alia verba sub idem genus cadentia profero, hic nonnullorum mentio facienda est, quae significatione plane contraria sunt verbis permittendi: εἴργω („prohibeo") sibi adiungit nudum infinitivum OR. 129. Ph. 1408, quo posteriore loco obiectum verbi εἴργω supplendum est; acc. c. inf. sequitur Tr. 1257. Compositum ἀπείργω cum accusativo et infinitivo, ubi accusativus per se obiecti locum tenet, constructum reperimus Ai. 70. Denique notatu dignum est ἐπέχω, quod duobus locis et accusativum et infinitivum, cui particula negativa μή abundanter adiecta est, sibi adiungit El. 517. Ph. 349, qui alter locus praeterea hac de causa dignus videtur qui spectetur, quod quamquam subiectum infinitivi iam enuntiato primario continetur, cum obiecti partes agat apud verbum regens, tamen constructio accusativi cum infinitivo adhibita est.

Iam transeamus ad alia verba notione huic parti ascribenda et inquiramus in verba docendi et discendi, ex quibus et ipsis illa perficiendi vis clare elucere mihi videtur. Omnibus locis verba docendi cum accusativo et infinitivo iunguntur: διδάσκω OC. 7; compositum προδιδάσκω Ph. 1015. ἐκδιδάσκω El. 395. 396. Ant. 298, quo loco extremo infinitivus ex hoc verbo pendet verbis καὶ παραλλάσσει φρένας quodammodo epexegetice accedentibus. — Similiter usurpatum est δείκνυμι; quod dativum et infinitivum regit Ant. 300. Verba discendi, quae semper nudum infinitivum assumunt, sunt haec: διδάσκομαι Ph. 1387. El. 330, quibus locis infinitivo particula μή apposita sensus negativus subicitur, Ant. 726, ubi futurum tempus huius verbi medio genere utitur, cum nos passivum exspectemus. Compositum ἐκδιδάσκομαι exstat Tr. 1110. 1245. μανθάνω El. 370. Ai. 667. προμανθάνω Ph. 538. γιγνώσκω Ai. 677.*) Ant. 1089. Denique his adiungas velim ἀσκέω El. 1024. frg. 874 (865).

Concludant hanc seriem verba eius notionis quae est „audere" vel „conari". τολμάω Ph. 110. 369. El. 1051.

*) γνωσόμεσθα displicuit Nauckio, qui mavult legi τλησόμεσθα: sed cf. adn. Wolffii.

Tr. 402. 785. Ai. 528. OC. 184 sqq. 1427. Ant. 449. ἔτλην Ph. 872. El. 531. Tr. 158. 898.*) Ai. 463. 917. 1227. 1333. 1384. OR. 1327. Ant. 944. frg. 686,2 (696,2). πειράω Ph. 149. 1249. El. 83. OR. 399. OC. 774. 959. 1276. frg. 238,1 (236,1).

Quoniam adhuc tantummodo verba efficiendi, facultatis dandae, alia, quae iis cognata sunt, attuli, ex quibus omnibus apparebat, facultatem efficiendi id quod indicat infinitivus in eo consistere, quod verbum regens exprimit, nunc aggrediar ad ea verba enumeranda, quae docent, subiecto ipsi potestatem esse, ut id, quod complectitur infinitivus, ad effectum adducere possit.

Hunc in numerum ea imprimis verba referenda sunt, quae significant „posse". Talia verba sunt δύναμαι, σθένω, ἔχω, πέφυκα, ἐπίσταμαι, alia.

δύναμαι invenitur: Ph. 742. 798.**) 1394. El. 697. OR. 280. 1212. 1304. OC. 136. 253. 441. Ant. 455. 803. Tr. 743. Ai. 1067. frg. 86, 8 (109, 8). 302, 2 (299, 2). 479, 1 (470, 1). 786, 4 (713, 4). σθένω Ph. 1434. El. 1175. OR. 17. 1486. OC. 256. 502. 1345. Ant. 1044. Commemorandum est, huic verbo omnibus locis negationem aliquam additam esse. — ἔχω, cui eadem fere notio subest, cum infinitivo iungitur: Ph. 523. 1047. El. 1008.***) 1423. OR. 119. 1071. 277. OC. 23. 37. 262. 384. 707. 820. 1451. Ant. 270.†) 689. 995. Tr. 195.††) 403. 950. Ai. 33. 295. 428.††) 475. 552. 1265. 1381. frg. 154, 2 (162, 2). Supplendus est infinitivus OC. 1436.†††) — σωκῶ („valeo") El. 119. πέφυκα

*) vv. 898. 899 exstingui volunt Hermannus et Nauckius.

**) θέλεις legi vult Blaydesius, quod Nauckio non displicet.

***) vv. 10007. 1008 delent Nauckius et Blaydesius.

†) Hoc loco ἔχειν duplici constructione utitur; nam post infinit. legitur ὅπως.

††) Pro οὐδ' ἔχει Schneidewinus legi vult οὐδ' ἐᾷ, sed ἔχει recte defendit Dindorfius.

†††) Hunc versum Nauckius et Dindorfius secluserunt; ac re vera talis est, ut scrupulos paret, et propter sententiam et propter elisionem dativi θανόντι. Cf. Nauckii et Dindorfii adnot.

(natura et indole praeditus sum) Ph. 79. Ant. 688. Tr. 440. *ἔφυν* Ph. 88. Ant. 253. *ἐπίσταμαι*, quod significat „ex periculo aut perspiciendo facultatem adeptum esse ad aliquid faciendum“ Ph. 672.*) El. 394. 629. OC. 1006. 1203. Ant. 472. Tr. 543. frg. 736, 6 (779, 6). 817 (969 a). *δύναμαι* et *ἐπίσταμαι* coniunguntur Ant. 686. *ἐξεπίσταμαι* Ant. 480. Similiter *οἶδα* et *κάτοιδα* usurpantur; illud legitur Tr. 313.**) Ai. 666. frg. 275 (280), hoc El. 414. 1447. OR. 1041. Denique his verbis annectam *φιλῶ*, quod significat „inclinare“ vel „solere“: El. 320. 913. 972. OR. 569. 1520. OC. 304.***) 920.†) Ant. 493. 722. Tr. 548. Ai. 989. 1361. frg. 187 (194). 240 (238). 507 (498). 652, 1 (649, 1). 844, 2 (668, 2).

Cum omnia exempla hac in particula disputationis meae congesta infinitivos id obiectum indicantes praebeant, quod ad effectum adduci possit, sive haec facultas subiecto ipsi data est sive in eo consistit, quod verbum regens complectitur, iam ea verba enumerare iuvabit, ex quibus studium vel desiderium rei alicuius efficiendae elucet.

Ac primum de infinitivis apud ea verba locum obtinentibus disputandum est, quae proprie singnificant „velle“.

βούλομαι plerisque locis nudum infinitivum sibi asciscit subiecto infinitivi non differente a subiecto verbi regentis: Ph. 225. 233. 529. 1239. 1273. OR. 1057. 1077. 1522. OC. 363. 464. 485. 504. 732. 1209. 1286. 1538. Ant. 757. 1053. Tr. 486. 1222. Ai. 681. 765. El. 1043. 1259. frg. 627 (623, 3).††) Accusativus cum infinitivo subiecto mutato sequitur quinque locis Ph. 1238. 1373. OR. 623. 1289. El. 337. Duobus locis invenitur *βούλομαι μᾶλλον ἤ* cum nudo infinitivo coniunctum Ph. 94. Ai. 1314. *θέλω* sibi adiungit nudum infinitivum OR. 11. 140. 216. 768. 933. 1304. OC. 404. 457. 557. 757. 767. 777. 849. 943. 1291. 1488. 1490, quo loco postremo

*) vv. 671—73 delent Schneidewinus et Dindorfius.

**) Axtius proposuit *φρονεῖν δοκεῖ*, O. Heusius *φρονεῖν ἐπίσταται*.

***) vv. 301—304 Nauckius a Sophocle abiudicat.

†) Hic quoque versus suspectus est Nauckio.

††) Hunc versum Nauckius Sophoclis non esse recte intellexit.

verbum regens ex praegressis verbis supplendum est 1509. Ant. 69. 238. 496. 664. 1040. Tr. 196.*) 343. 388. 452. 1016. Ai. 719. 755. 1378. El. 318. 330. 408. 577. 1083. 1506. Ph. 944. 1386. frg. 75, 2 (98, 2). 215 (225, 2). 714 (432). Uno loco constructio nominativi cum infinitivo exstat, quam eo exoriri notum est, quod subiectum infinitivi quamquam idem est atque verbi finiti, tamen proprie casu nominativo exprimitur sive pronomine *αὐτός*, quod longe creberrimum est, sive alio modo. Legimus OC. 1756:

τύμβον θέλομεν
προσιδεῖν αὐταὶ πατρὸς ἡμετέρου,

ubi *αὐταί* subiecti instar infinitivo additum est, cum per collocationem verborum et per sensum non liceat, pronomen ad verbum regens referre. Praeter hunc locum apud Sophoclem unus tantummodo, ni fallor, nobis occurrit, ubi eadem structura statuenda est post verbum *δέχομαι*, cf. p. 63.

Quinque locis acc. c. inf. post *θέλω* reperitur: OR. 205. OC. 763. 1133. Ai. 106. 525. Semel invenimus *θέλω μεῖζον ἤ* cum nudo infinitivo consociatum Ant. 497. Forma *ἐθέλω* Sophocles multo rarius usus est: OR. 1348. OC. 543. Ant. 200 sqq. Ai. 88. 1070. 1387. 1391. El. 132. Ph. 145. 427. frg. 605 (596), quae omnia exempla nudum infinitivum praebent; semel acc. c. inf. sequitur Ph. 1278. Fere idem significat *αἱρεῖσθαι*, quod nudum infinitivum regit OC. 448. Ant. 555. 565. Ph. 443. 1100.**) *αἱρεῖσθαι μᾶλλον ἤ* exstat OR. 585. Ph. 46.

His verbis apte adiungas *προτιμᾶν*, cuius vis aequat latinum „maioris facere“, Tr. 722.

Sequantur verba cupiendi, ex quibus nudus infinitivus pendet: *χρῄζειν* OR. 91. 933. 1001. 1439. OC. 518. 1208.

*) *ποθῶν* praeter alia proposuit Nauckius. Si locus sanus est, Hermanni sententia comprobanda est.

**) Codices vitiose praebent *εἵλου . . . ἑλεῖν*, quem infinitivum Hermannus probabiliter commutavit in *αἰνεῖν*.

1713. Tr. 397. 408.*) 709. El. 668.**) 1007. Ph. 1052. Facile suppletur hoc verbum OR. 622. OC. 643. Compositum *προσχρήζω* OR. 1155. OC. 1168. *ἔραμαι* vel *ἐράω* OC. 511. Ant. 220. Ph. 651. Subaudiendus est infinitivus Ph. 660. Et infinitivus *τυχεῖν* et casus genetivus coniunguntur cum eodem verbo tribus locis El. 364. Ai. 967.***) frg. 86,8 (109,8). *ἱμείρω μᾶλλον ἤ* OR. 587.†) Medium genus *ἱμείρομαι* ibid. 386. *ἐπιθυμέω* Tr. 617. *προθυμέομαι* Tr. 1119. *ἐπεύχομαι* Tr. 16. *ἐπαινέω* Ai. 1360.††) *ἐφίημι* frg. 351 (68).†††) Sequantur verba quaerendi: *ζητέω* OR. 260. *ματεύω* OR. 1052. *μαίομαι* Ai. 287. *θηράομαι* Ai. 2.§) Sub idem verborum genus cadit *σπουδάζω* („operam do") OC. 1143, *σπεύδω* Ai. 812.§§)

Hic proferendum est verbum personaliter usurpatum *ὤφελον*, quod optatum aliquod indicat, quod re vera non evenit; latine hoc verbum non vertas, nisi coniunctione „utinam" cum coniunctivo temporis praeteriti constructa utaris; inf. aor. sequitur Ph. 969. OR. 1157. Tr. 997. El. 1132.

---

*) Hunc versum et sequentem Nauckius abesse vult.

**) Hunc versum eiciunt Nauckius et Blaydesius.

***) Dindorfius exstinguit vv. 966—968, Nauckio suspecti videntur vv. 966—970.

†) v. 588, qui duos ex *ἱμείρων* pendentes infinitivos continet, Nauckius pro spurio habet.

††) Nauckius offendit in hoc versu: sed cf. adn. Bellermanni.

†††) Pro *ἐφίεται* coniecit Nauckius *ἐπεύξεται*.

§) Sic legitur v. 1 sq. *ἀεὶ μέν, ὦ παῖ Λαρτίου, δέδορκά σε | πεῖράν τιν' ἐχθρῶν ἁρπάσαι θηρώμενον.* Disceptatum est, utrum substantivum *πεῖραν* ex infinitivo, infinitivus autem ex verbo *θηρώμενον* pendeat, an substantivum participio regatur, infinitivo laxiore nexu cohaerente cum *πεῖραν θηρώμενον* et quodammado epexegetice accedente, quod Hermannus vult, cf. Lobeck ad Ai. v. 2; equidem priorem constructionem praefero, cum mihi persuasum sit, *θηρᾶσθαι* notionem verborum cupiendi et studendi assumpsisse, quod comprobatur exemplo Eur. Hel. 63 et 545, cf. Ellendt lex. Soph. s. *ἁρπάζω* et *θηράω*. Certe non opus est Lugebili mutatione *θήραν* . . . *πειρώμενον*.

§§) Dindorfius et Nauckius hunc versum interpolatori tribuunt.

Persona altera exstat El. 1021, ubi infinitivus praesentis legitur, tertia Ai. 1192, ubi inf. aor. positus est.

Sequantur verba, quorum notio est „velle et apud se decrevisse, in animo habere": *ἀξιόω* OR. 944. OC. 1293; acc. c. inf. Ai. 494. *ἐπαξιόω* cum nudo infinitivo iungitur OC. 1496. Pari modo usurpatur *δικαιόω* OC. 1642. *βουλεύω* OR. 537. 738. Ant. 772. El. 385. 649. 947.*) 1001.**) *νοέω* Ph. 918. 921. 1016. 1233. Ant. 44. 770. Ai. 595. El. 389.***) frg. 286,1. (289,1). Compositum *ἐννοέω* OR. 330. Simili modo usurpatum est *φράζομαι* El. 213.†)

Hoc loco mentio mihi facienda est verbi *δέχεσθαι*, quod semel apud Sophoclem nom. c. inf. sibi asciscit, significans „sich zu etwas entschliessen, es über sich gewinnen können."

El. 1304. *κοὐδ' ἂν σε λυπήσασα δεξαίμην βραχὺ*
αὐτὴ μέγ' εὑρεῖν κέρδος.

Subiectum infinitivi, quod idem est atque verbi primarii, pronomine *αὐτή* ad primam personam spectanti exprimitur, ut alteri personae opponatur (*σε*). Hic verbi usus, qui a poetarum consuetudine prorsus alienus est, cum apud alios poetas nullum tale exemplum inveniatur, interdum, apud prosae scriptores nobis occurrit velut apud Herod. 3,38, apud Thuc. 1,43,2, apud Patonem saepius (cf. Ast lex. Plat. I p. 446).

Deinde de verbo *μέλλειν* quaedam dicenda sunt, quod varias significationes induit; ac primum notat hoc verbum „in eo est, ut faciam aliquid", „im Begriffe sein, vorhaben". Inf. praes. reperitur Tr. 756. El. 305. OR. 679. OC. 1774,††) inf. fut. El. 360. 379. Tum ex hac significatione exorta est notio nostri verbi „sollen"; maximeque usurpatur imperfectum *ἔμελλον*, quod saepe dicitur de rebus, quae necessitate fati naturaeve evenient; inf. fut. legitur Ph. 1083:

---

*) Hunc versum et sequentem delet Nauckius.

**) vv. 1001. 1002 eicit Morstadtius progr. Schaffhus 1864 p. 29.

***) vv. 389. 390 exstinguit A. Schoellius.

†) Porsonus *νόει* mutat in *νοῦν δεῖ*.

††) vv. 1768—1779 Nauckius pro spuriis habet.

οὐκ ἔμελλον ἄρ', ω τάλας,
λείψειν οὐδέποτ' κτέ.

OR. 967. Ai. 1027; inf. praes. Ai. 925. Tr. 79. El. 1486.*) Deinde hoc verbum significat res, quas fieri necessarium est, vi aequans nostrum „müssen, mögen" vel adverbia „wohl, vielleicht". Inf. praes. sequitur Ph. 409. OR. 1385. Ai. 443, inf. fut. Ph. 483. Ant. 458. Ai. 1287. El. 538. Denique significat *μέλλειν* „cunctari", qua notione instructum infinitivum praesentis sibi adiungit Ph. 1449. OC. 1627.**) Ai. 540, quo loco postremo infinitivo *μὴ οὐ* appositum invenimus, quia haec significatio verbi *μέλλειν* aliquid negativi comprehendit, cf. Aesch. Prom. 627.

Ut haec extrema significatio, quae subest verbo *μέλλειν*, contraria est iis verbis, quae ante illud verbum tractavi, ita huic verbo alia adiungam, quae et ipsa eandem notionem cunctandi vel recusandi induerunt. Ac primum commemorandum est *ὀκνέω* Ph. 93. Ai. 81. 1394. El. 1271. *κατοκνέω* El. 956. *φεύγω* OR. 1010. *στυγέω* Ph. 87. *εὐλαβέομαι* OR. 616. *τρέμω* OC. 128. *ὑπεκτρέπομαι*, cuius propria significatio est „se avertere", OC. 566, ubi infinitivo particulae negativae *μὴ οὐ* adiectae sunt. —

Iam vero transeamus ad infinitivos ex verbis petendi orandique pendentes; cuius generis usitatissimum verbum est *αἰτεῖν*, quod et accusativum pro obiecto et infinitivum regit OC. 1334. Ant. 65. 1199. Tr. 96. medium *αἰτεῖσθαι* („sibi deprecari") OR. 880. Ai 825. Uno loco acc. c. inf. sequitur El. 453. *ἱκετεύω* cum accusativo et infinitivo consociatur OR. 41. 1414. *ἱκετεύομεν ἐξαιτούμενοι* OC. 1327. Compositum *ἐξικετεύω* nudum infinitivum sibi adiungit OR. 760. *ἀράομαι* semper ita a poeta usurpatur, ut cum dativo *θεοῖς* consocietur aut nudo infinitivo sequente ut Tr. 48,***) aut accusativo cum

*) vv. 1485. 1486 delent Dindorfius aliique.

**) Pro codicum scriptura *τί μέλλομεν χωρεῖν*; Nauckius scribi vult *τί μέλλομεν χώρει*.

***) vv. 46—48 interpolatos esse indicat Wunderus.

infinitivo ut OC. 1445. Ai. 509. *ἐπαράομαι*, quod ex versu praecedenti facile suppletur, cum acc. c. inf. constructum reperimus El. 389. *λίσσομαι* iungitur cum accusativo et infinitivo El. 428,*) cum nudo inf. OC. 1560,**) *ἀντιάζω* cum nudo inf. OR. 191.***) *ἄντομαι* regit acc. c. inf. OC. 244, *λιπαρέω* nudum inf. OC. 776, et accusativum et infinitivum OR. 1435, *προσπίτνω* nudum inf. OC. 1755, ubi supplenda sunt dativus personae et verbum primarium. *προσκυνέω* sibi asciscit et accusativum pro obiecto et acc. c. inf. Ph. 776, *εὔχομαι* inf. nudum Tr. 1189. Ant. 641. Ai. 391. frg. 326,3 (324,3). 778,2 (741,2) Sequuntur et dativus et acc. c. inf., cuius subiectum intellegitur ex sequenti enuntiato relativo Ai. 686. Singularis est ratio constructionis OR. 263, ubi ex *εὔχομαι* prius accusativus obiecti loco et infinitivus suspensi sunt, tum, quamquam subiectum mutatur, nudus infinitivus; priore loco inf. praes., altero inf. fut. medii, qui significationem passivi generis habet, positus est. *ἐπεύχεσθαι* assumit nudum infinitivum OR. 270, et dativum et infinitivum, apud quem praedicatum, quod spectat ad illum dativum, in accusativo casu positum est Ph. 1470. *κατεύχομαι* regit acc. c. inf. OR. 267. OC. 1575, *καλέω* (imprecor) et accusativum pro obiecto et infinitivum Ai. 831. 835. Ph. 738, quo extremo loco verbum ex versu praecedenti facile repetitur.

κικλήσκω regit et accusativum et infinitivum OR. 209, *ἀνακαλεῖσθαι* („obtestari") OC. 1376, ubi accusativus obiecti subaudiendus est. Pari modo et accusativus et infinitivus additi sunt verbis *προστρέπω* („supplico") OC. 50, *κατασκήπτω*

*) vv. 428—430 delent Nauckius aliique viri docti.

**) Ante infinitivum verba *δίδου μοι* v. 1562 scribenda censuit Hartungus, quem Nauckius sequitur. Traditam scripturam defendit Bellermannus.

***) Sic legendum: *Ἄρεα, ὅς φλέγει με περιβόητος, ἀντιάζω παλίσσυτον νωτίσαι κτλ.* *ἀντιάζω* pro *ἀντιάζων* emendavit Hermannus. (Verbum *ἀντιάζω* apud poetas tragicos numquam eam notionem habet, quae subicitur verbo, si *ἀντιάζων* legitur.)

(„obtestor“), cui verbo *λιταῖς* et *καλῶν ἱκνοῦμαι* adiecta sunt OC. 1011,*) *στέργω* OC. 1094.

Venio ad verba postulandi: nudus infinitivus sequitur verbum *ποθέω* („desidero“) Ph. 675, accusativus et infinitivus *ἐξαιτέω* OR. 1255, acc. c. inf. Ph. 811.

Sequantur verba suadendi et cohortandi: Et accusativum et infinitivum regit *πείθω* OC. 736. Tr. 359. Passivum genus legitur Ph. 624. OR. 1065, quo altero loco verbo regenti *οὐ*, infinitivo *μὴ οὐ* appositum invenimus. *ἐκπείθω* utitur eadem constructione atque simplex verbum Tr. 1141. Nudus infinitivus suspensus est ex his verbis: *παραμυθέομαι* („suadeo“) Ant. 935. El. 1322. *καλέω* („hortor“) Ph. 466. *παραινέω* Tr. 670, accusativus et infinitivus ab eodem verbo El. 943, itemque a *παρηγορέω* („suadeo“ vel „moneo“) frg. 179,2 (186,2), a *καλέω* El. 996.**) Eandem constructionem verba commovendi et cogendi praebent: *ἐποτρύνω* El. 1264. *προσάγω* OR. 130. *προτρέπω* (impello) Ant. 270; huius verbi medium exstat OR. 358. *ἀνίστημι* (excito) OC. 1286. *ὄρνυμι* (commoveo) Ant. 1060. *θέλγω* (pellicio) Tr. 355. *ἐξαναγκάζω* El. 620. Simplex *ἀναγκάζω* OC. 589.***) 898. 979. El. 256. Uno loco dativus et infinitivus pendent ab *ὁρίζω* frg. 19,1 (19,1).†)

Transgrediamur nunc ad verba iubendi: *κελεύω* exhibet nudum infinitivum Ph. 865. Ant. 731. frg. 227, 3, acc. c. inf. Ph. 544. OR. 266, *ἄνωγα* nudum El. 1458, acc. c. inf. Ph. 100. OR. 96. Tr. 1247. Ai. 1364, accusativo omisso OC. 1598, *τάσσω* acc. c. inf. OC. 639. Ph. 7, quo loco posteriore passivam structuram habemus. Compositum *προστάσσω* regit dativum et infinitivum OC. 1018, suppletur verbum 1019, ubi

*) Propter inusitatam significationem, quam hoc loco *κατασκήπτω* habet, Nauckius deleto v. 1011 scribi vult *ἐλθεῖν ἀρῶμαι ξυμμάχους κτλ.* Tuetur *κατασκήπτω* Bellermannus.

**) vv. 957—1000 delet A. Schoellius. Nauckius offendit in *καλεῖς*, quod Blaydesius in *θέλεις* mutat.

***) Hunc versum corruptum esse veri simile est.

†) Brunckius dativum *ἐμοί* non cum verbo *ὥρισεν* coniungi iubet sed cum *νείμας* participio quod sequitur.

prius nudus infinitivus, tum subiecto mutato acc. c. inf. positus est. *ἐπισκήπτω* asciscit dativum et infinitivum OR. 246, cum *εἶπε* coniunctum nudum inf. Ai. 752, *στέλλω* accusativum et infinitivum Ph. 60.*) 495. Ant. 165, *ἐπιστέλλω* acc. c. inf. OR. 106. *ἐφίημι* („iubeo“ vel „mando“) iungitur cum inf. nudo Ph. 770, cum dativo et infinitivo Ai. 990. El. 1111, cum acc. c. inf. OR. 1055. Ai. 112; compositum *ἐξεφίημι* cum nudo inf. Ai. 795.

Praeterea multa verba dicendi significationem iubendi vel imperandi induunt: *λέγω* construitur cum nudo infinitivo OC. 856, cum dativo et infinitivo ibid. 840, quo loco duo infinitivi a verbo *λέγω* pendent *χαλᾶν* et *ὁδοιπορεῖν*, ad quem alterum verbum supplendum est. Acc. c. inf. praebent Ph. 101. Tr. 137. *εἶπον* nudum infinitivum regit Ph. 841. Tr. 480, acc. c. inf. El. 1456. Uno loco sequitur acc. c. inf. verbum *φημί*, quod ex verbis alterius personae subaudiendum est OR. 656. *αὐδῶ* sibi adiungit nudum infinitivum OC. 864, omnibus aliis locis acc. c. inf. OC. 1630. El. 233. Ai. 772. OR. 241; hoc loco postremo *αὐδῶ* supplendum est ex *ἀπαυδῶ*, quod praegreditur v. 236 (cf. ibid. v. 819 *ἔξεστι — χρή*). *φωνῶ* iungitur cum acc. c. infinitivo Ai. 1047, compositum *προφωνῶ* cum dativo et infinitivo Ai. 1089. Constructione accusativi cum infinitivo utuntur haec verba: *ἐννέπω* OR. 350. 1381. OC. 932. *προεννέπω* Tr. 227. *βοάω* OR. 1287. Dativus et infinitivus sequuntur haec verba: *παραγγέλλω* Ph. 1178. *σημαίνω* Ai. 688, accusativus et infinitivus *καλῶ* Ai. 72, nudus inf. *κηρύσσω* („per praeconem edicere“) Ant. 192. 447, quo altero loco hoc verbum in genere passivum positum est.

Denique duo verba vetandi mihi proferenda sunt; praemonendum autem est, Sophoclem infinitivo ab his verbis pendenti semper particulam *μή* addidisse, ubi nos negatione non utimur. *ἀπαυδῶ* regit acc. c. inf. OR. 236. Ai. 741, *ἀπεῖπον* dativum et acc. c. inf. OC. 1760. Infinitivus subaudiendus est Ant. 405.

*) *πείσαντες* pro *στείλαντες* legi vult Naberus.

Iam eorum infinitivorum usus perquirendus erit, ex quibus vis consecutiva aut finalis prorsus evanuit; quo in numero ponenda sunt verba sentiendi et declarandi.

b. De infinitivis apud verba sentiendi et declarandi obiecti locum obtinentibus.

Initium capiam a verbis sentiendi, quibus in tractandis ita versabor, ut proficiscar a verbis, quae significant „videri“, deinde progrediar ad verba putandi, sperandi, sciendi, tum ad ea, quae notant „audire“ vel „sensu accipere aliquid“.

In medium proferantur verba cum significatione, quae est „videri“: *φαίνομαι* regit infinitivum praesentis frg. 761, 2 (726, 2). Infinitivus *εἶναι* suppletur OC. 685 (dat. appositus est). *ἔοικα* iungitur cum infinitivo praesentis: Tr. 1083. Ai. 337. 344. 354. 1120. Ph. 972. El. 1048, aor: Ant. 1270. Ai. 1239, quo altero loco hoc tempus ad res praeteritas spectat; inf. praes. et futur. per anacoluthiam consociantur Ant. 1280.

Uno loco singularem constructionem habemus, quae orta est eo, quod personalis structura et impersonalis confunduntur; haec constructionum confusio ne Aeschylo Euripidique quidem incognita est. Legimus Tr. 1238:

ἀνὴρ ὅδ', ὡς ἔοικεν, οὐ νέμειν ἐμοὶ
φθίνοντι μοῖρα.

Exspectamus aut *ἔοικεν οὐ νέμειν* aut *οὐ νέμει, ὡς ἔοικεν.**)

Parem constructionem restituere proponunt editores quidam ibid. v. 1241, ubi codices haec praebent:

οἴμοι, τάχ', ὡς ἔοικας, ὡς νοσεῖς φράσεις.

Nonnulli *φράσεις* in *φράσειν* commutarunt propter concursum consonarum similium et homoeoteleuta; mihi autem codicum lectio servanda videtur esse, nisi forte aliae accedunt causae graviores.

---

*) Nonnulli interpretes talem constructionem statuendam esse negant, qui *νεμεῖ* vel *νέμει* praeferunt; Nauckius legi mavult: *οὐ νεμεῖ πατρὸς φθίνοντος ὥραν.*

Dativus personae saepius accedit ad verbum *δοκεῖν*, quod infra inter uncos adnotabo. Tempus praesens aut perfectum, quod praesentis vim habet, ut *εἰδέναι*, *πεφυκέναι*, adhibitum est hisce locis: Ph. 126 (dat.). 877. 960. 1372. Tr. 57.*) 59 (dat.). 586.**) El. 254. 336. 550 (dat.). 614 (dat.). 1041 (dat.). 1364 (dat.). OR. 402. OC. 104. 1665. 1666 (dat.). Ant. 181. 469 (dat.). 557 (dat.). 622 (dat.). 682 (dat.). 914 (dat.). 1252 (dat.). Ai. 594 (dat.). 1095. frg. 327, 6 (325, 6) (dat.). frg. 736, 12 (779, 12); futur.: El. 442 (dat.). OR. 401; aor.: El. 805 (dat.). frg. 796 (761). Res praeteritas significat hoc tempus cum perfecto coniunctum OR. 346 (dat.); perf.: Tr. 589 (*παρ' ἡμῖν* verbo *δοκῶ* additum est). OR. 405 (dat.). OC. 1035 (dat.). Duobus locis infinitivus ex praegressis verbis facile potest suppleri Ant. 1062. El. 617.

Medium locum quodammodo inter haec verba et illa, quae notant „putare“, ea obtinent, quae latinam vocem „sibi videri“ vi aequant. Saepe quidem difficillimum est diiudicatu, utrum talia verba, in quorum numerum referenda sunt *ἐοικέναι* et *δοκεῖν*, significationem induerint „sibi videri“ an „putare“. Duobus locis *ἔοικα* significare mihi videtur „sibi videri“ OR. 744 et Ph. 317, ubi tempus futurum usurpatum est. Verbo *δοκῶ* eadem vis subiecta est Ph. 735. 1360. El. 1055 (*σεαυτῇ* verbo adiunctum est). 1361. OR. 1470. OC. 960. Ant. 707. Tr. 404. 592. Ai. 43. 56. 441. 975, quibus omnibus locis tempus praesens legitur; perfect. exstat Ph. 1044, aor. El. 78. Ai. 263. Ex hac significatione orta est notio putandi, quam *δοκεῖν* permultis locis assumit; nudus infinitivus sequitur Ph. 14.***) OR. 355 (fut.). 368 (fut.). 399 (futur.). 729. 1111. OC. 878. El. 446.†) Ai. 1078. 1085 (futur.). Tr. 1138. 1171 (futur.). Ant. 1102, quo loco

---

*) Locum corruptum esse plerique editores consentiunt.

**) Hunc versum exstingui vult Dindorfius.

***) vv. 13. 14 ab E. A. Richtero eiciuntur, quod Nauckius comprobat.

†) vv. 444—447 aut spurios aut graviter corruptos esse iudicat Nauckius.

postremo quamquam subiectum mutatur tamen nudus infinitivus positus est,*) item OR 1179 (fut.), acc. c. inf. Ph. 276. OR. 584. OC. 299 (futur.). 748. 918. El. 266. 312. Eadem constructio uno loco adhibita est, ubi subiectum infinitivi idem est atque verbi regentis El. 471. Supplendum est subiectum frg. 521, 12 (517, 12). Videmus, saepius tempus futurum pendere ab *δοκέω* maximeque iis locis, ubi significatio huius verbi propius accedit ad significationem verborum sperandi, ut Ph. 14. OR. 355. 368. 399. Tr. 1171 aliis locis, aut timendi, ut El. 471.

Sequantur alia verba putandi: *οἶμαι* regit nudum infinitivum Ph. 1058, acc. c. inf. Ph. 339. 536. OR. 1227. OC. 28 (qui extremus locus etiam ob eam causam commemoratu dignus mihi videtur esse, quod nullo alio loco nisi hoc pleniorem formam *οἴομαι* invenimus). 498. 999. 1054 (fut.). El. 932 (aoristus legitur, qui res praeteritas significat). 1446 (verbum impersonale suspensum est). Ant. 453. Ai. 430.**) Duobus locis infinitivus facile suppleri potest OR. 1051. El. 459.

νομίζω asciscit nudum infinitivum: OR. 516***) (perf.). 551 (futur.). frg. 1019, 9, acc. c. inf.: OR. 549. Ai. 497 (futur.). 1082. OC. 800, ubi duo acc. c. inf. a *νομίζω* suspensi sunt, quamquam subiectum alterius non differt a subiecto verbi regentis. Et *νομίζω* et *λέγω*, quae verba passivam structuram praebent, infinitivum sibi adiungunt OR. 39. Infinitivus *εἶναι* subaudiendus est OC. 1000.

ἡγέομαι cum infinitivo coniunctum non inveni nisi uno loco OC. 278, ubi constructionem accusativi cum infinitivo habemus. Supplendus est infinitivus apud hoc verbum Ph. 108.

---

*) Sic Hermannus. Pro *δοκεῖς* legi vult Nauckius *λέγεις* vel *με λῇς*. Miram construendi rationem proposuit Wolffius.

**) vv. 430 sq. Nauckio suspecti videntur.

***) Pro *νομίζει* Blaydesius scribi vult *δοκεῖ τι*. Sed cf. Wolffii adn.

Uno loco verbo *τίθημι*, quod sequitur acc. c. inf., significatio existimandi subiecta est Ant. 1165.*)

ἐλπίζω semper regit nudum infinitivum, tribus locis inf. fut. Ph. 1175. Ai. 1052. OC. 1105 (passiv. *ἐλπισθέν*), uno infinitivum aoristi Ph. 629, qui plane eodem sensu usurpatus est atque inf. fut. (apte comparetur hic locus cum eiusdem fabulae versu 1175), uno denique loco inf. praes. Ai. 799,**) ubi *ἐλπίζω* contrariam fere significationem assumpsit.

Similis est usus verbi *προσμένω* cum acc. c. inf. iuncti El. 303.

θαρσέω (confido) duobus locis acc. c. inf. sibi adiungit Ant. 668. 935, quo loco posteriore infinitivo *μὴ οὐ* appositum est, cum primaria enuntiatio negativam sententiam praebeat. — Idem significat *πιστεύω*, cui nudus infinitivus sese applicat El. 1317; pari modo usurpatum est perfectum *πέποιθα* Ai. 769 (futur.). Infinitivus supplendus est El. 323, ubi significatio huius verbi aequat latinam vocem „persuasum habeo“. — Priusquam verba sciendi proferam, aptum videtur, hoc loco etiam *πεφόβημαι* commemorare, quod nudus infinitivus sequitur Ai. 253.

Iam vero disputabo de verbis sciendi: *οἶδα* regit nudum infinitivum frg. 465 (449) et Ph. 1010, ubi significat hoc verbum „sibi conscium esse“, imperativus *ἴσθι* acc. c. inf. tribus locis Ph. 1329. Ant. 473. OR. 691, quo loco postremo infinitivus perfecti cum *ἄν* legitur, cum sententia evadat quae dicitur irrealis. Uno loco Antig. 1064 Winckelmannus (Salzw. Pr. 1852 p. 30) et Nauckius *κάτισθι* cum acc. c. inf. coniungi volunt, ubi equidem ceteros editores secutus traditum participium retineo, in quo minime offendendum mihi videtur esse.

Semel verbum *ἐπαξιόω* notione proxime accedit ad verbum „scire“, accusativum cum infinitivo sibi asciscens El. 658.

---

*) Nauckius offendens in infinitivo post *τίθημι* usurpato legi iubet *οὔτε φήμ' ἐγὼ ζῆν* vel *οὐ τίθημι ἐγὼ ζῶν* pro *οὐ τίθημ' ἐγὼ ζῆν τοῦτον*. Defendit structuram Wolffius.

**) Nonnulli locum corruptum esse putant; sed cf. Ellendt lex. Soph. s. *ἐλπίζω*.

ἐπίσταμαι tribus locis exstat cum acc. c. inf. iunctum Ant. 1092. El. 616. Ai. 869.*) Compositum *ἐξεπίσταμαι* eadem constructione bis utitur El. 907. Ant. 293 (perf.). Contraria significatio subest verbo *ἀπιστέω*, cui acc. c. inf. sese applicat Ai. 940. Hanc seriem verborum sentiendi concludant tria verba, quae notant „audire“, apud quae rarissime infinitivus obiecti vices tuetur: *ἀκούω* Ant. 823. *κλύω* Tr. 68 (perf.). *πυνθάνομαι* (comperire) OR. 513. Tr. 103, quibus omnibus locis acc. c. inf. legitur. Non huc referendus est Ai. v. 1159, ubi sic interpungendum est:

καὶ γὰρ αἰσχρόν, εἰ πύθοιτό τις,
λόγοις κολάζειν, ᾧ βιάζεσθαι πάρα.

Ex mea sententia infinitivus *κολάζειν* non ex *πύθοιτό τις* pendet, sed spectat ad adiectivum *αἰσχρόν*. Certe non opus est coniectura Nauckii *πειρῷτο*.

His infinitivis, qui suspensi sunt a verbis significantibus „sentire“, absolutis, nunc aggrediamur ad perquirendos eos infinitivos qui reguntur verbis, quibus significatio est „sententiam suam aperire“. Haec verba non uno loco infin. aor. sequitur ad res praeteritas significandas, quod inter uncos adnotabo. Constructionem accusativi cum infinitivo praebet *λέγω* his locis: Ai. 1374. OR. 87. 799. OC. 88 (*εἶναι* subaudiendum est; ex hoc versu *ἔλεξε* facile repetitur ad v. 94, ubi inf. fut. legitur). 1299. Ant. 282. 504. 1054. 1289. Passivam formam *ἐλέχθη* habemus OR. 292 (aor.). Subiectum infinitivi supplendum est Tr. 408.**) 960. Ai. 1339. Item Tr. 824, ubi aoristi forma *ἔλακε* exstat.

---

*) Sic legitur: *κοὐδεὶς ἐπίσταταί με συμμαθεῖν τόπος*. Dindorfius et Nauckius offendunt in hoc versu, quem alii, ut Elmsleius et Hermannus, ita interpretantur, ut *ὥστε* subaudiant. Meinekius infinitivo eiecto coniecit *ἐφίσταται . . . συμμαθών*. Mihi autem laudanda videtur esse interpretatio ab Ellendtio in lex. Soph. s. *ἐπίσταμαι* commendata „nec ullus locus me sibi conscium esse scit, i. e. cum ipse solus sciat, me conscium arcani expertus non est“.

**) vv. 408 sq. pro spuriis habet Nauckius.

Blaydesius et Nauckius Ph. 58, ubi traditum est:

πλεῖς δ' ὡς πρὸς οἶκον κτλ.

πλεῖς in *πλεῖν* mutarunt, hunc infinitivum cum *λέγειν* v. 57 coniungendum esse rati, sine idonea causa, ut mihi videtur.

φημί regit nudum infinitivum: El. 558 (aor.). 1209. Ant. 443 (aor.). 535. Ph. 817 (fut.). Tr. 1073 (aor.). Ai. 1326 sq. (fut.). 1414. OR. 554 (aor.). frg. 314 (313), acc. c. inf. El. 1443. Ant. 7 (aor.). 27 (perf.). 31. 561 (perf.). 720. Ph. 1389. Tr. 70. 74. 114. 171 (aor.). 745*) (perf.). 878 (aor.). Ai. 1281 (aor.). OR. 349.**) 362. 366 (perf.). 703 (aor.). 1367 (perf.). OC. 260. 392. 1156. 1164. 1570.***) 1764 (fut.). Non his locis annumerandus est El. v. 84, ubi pro codicum scriptura *ταῦτα γὰρ φέρει | νίκην τ' ἐφ' ἡμῖν* Turnerius aliique sine iusta causa, ut mihi videtur, proposuerunt *φέρειν | νίκην τε φημί*, cf. adn. Dindorfii.

ξύμφημι iungitur cum acc. c. inf. OR. 553 (perf.), *φάσκω* cum nudo inf. Tr. 420. 425. 428. Ai. 1097. Ph. 1411. El. 9, quibus duobus locis postremis *φάσκειν* infinitivus imperative dictus est ita ut nobis vertendum sit „wisse dass“; acc. c. inf. sequitur Tr. 261. 1170 (futur.). Ai. 759. 1037. OR. 123 (aor.). 462. 842. OC. 1332.

φράζω cum acc. c. inf. nobis occurrit Tr. 169.†) 468, quo altero loco subiectum infinitivi supplendum est, *εἶπον* cum nudo inf. OC. 322 (verbum regens subauditur). 626 (aor.), cum acc. c. inf. Tr. 186 (futur.), ubi ex praecedenti versu *εἶπον* facile suppletur. 363.††) OR. 994. OC. 1513. Ant. 646.

---

*) Hunc versum interpolatori tribuendum esse censet Nauckius.

**) *εἶναι* cum in cod. Laur. a manu antiqua additum sit, causa non est cur spurium id esse putemus.

***) Bergkius et Nauckius pro *φασί* scripserunt *παῖσι*. Locum corruptum esse constat.

†) Sed vix recte se habet hic locus.

††) Dobreus et Hartungus delent hunc locum.

757. *διειπεῖν* construitur cum acc. c. inf. OR. 854; *ἐξηγεῖσθαι* eadem constructione utitur Ai. 320.*)

Sequantur alia verba declarandi: *μαρτυρέω* nudum infinitivum sibi asciscit significans aut „testor“ Tr. 422, aut „confiteor“ OC. 1265. *ἀγγέλλω* designat „nuntiare“ Ai. 1226, ubi acc. c. inf. legitur, *ἀγγέλλομαι* „ultro profiteri“ ibid. 1376, ubi nudus infinitivus exstat. Notionem nuntiandi vel respondendi uno loco *ἀντιπέμπω* induit cum acc. c. inf. coniunctum OR. 306. Item verbis declarandi ascribo *προτίθημι*, quod nudus infinitivus sequitur Ant. 1249.

Haec verba mihi occurrerunt cum notione „gloriari“: *εὔχομαι* cum nudo infinitivo iunctum OR. 894. OC. 1318 (futur.), cum acc. c. inf. OC. 59. *ἐξεπεύχομαι* regit nudum infinitivum Ph. 668 (aor.), item *ἐξαυχέω* Ant. 390 (fut.), *ἐπαυχέω* acc. c. inf. quamquam subiectum non mutatur El. 65, *ἀξιόω* nudum OC. 579.

Venio ad verba pollicendi et iurandi, quae plerumque infinitivus futuri sequitur. Nudus infinitivus pendet ex his verbis: *ὑπισχνέομαι* Ph. 615 (futur.). *καταινέω* OC. 1633 (futur.). 1637 (futur.). *ὄμνυμι* Ph. 357 (praes.). 623 (futur.). 941 (futur.). Tr. 1186 sqq. (fut., verbum regens suppletur). *διόμνυμι* regit acc. c. inf. Ai. 1232 (aor.). Huc adde locutionem *ἐμβάλλω χειρὸς πίστιν*, cui nudus infinitivus sese applicat Ph. 813 (fut.).

Priusquam transgredimur ad verba infitiandi, duo alia verba commemoranda sunt: *ἐπαπειλέω* cum nudo infinitivo iunctum El. 779 et *ἐπαιτιάομαι* („culpae do“) cum acc. c. inf. El. 603. OR. 645.

Denique in medium proferantur verba infitiandi; nudum infinitivum praebent *ἀρνέομαι* frg. 86, 5 (109, 5) et compositum *καταρνέομαι* Ant. 422, ubi *μή* infinitivo appositum invenimus. *ἀντιλογέω* regit acc. c. inf. Ant. 377, quo loco infinitivo *οὐ* abundanter additum est.

---

*) Valkenarius et Nauckius Tr. 66 traditum *φέρει* in *φέρειν* mutarunt, quod coniungunt cum *εἴρηκεν* v. 63. Cum autem servae se assentiri Deianira antea perspicue dixerit, nequaquam verba tradita ansam mihi videntur dare ad codicum lectionem corrigendam.

VIII. De infinitivo accuratioris definitionis.

Hic infinitivus ob eam causam infinitivus accuratioris definitionis vocatur, quia ad adiectiva, substantiva, adverbia, verba accedit, ut significationem atque vim eorum planius exponat, ut quodammodo provinciam indicet, in qua nominis cui additur notio valeat.*) Ut hunc totum apud Sophoclem usum illustrem, tria genera discernere opus esse mihi videtur.

1. Primum disseram de eo infinitivo, qui post adiectiva, substantiva, verba qualitatem aliquam significantia positus est ad eorum vim quatenus pateat planius explicandam ita ut infinitivus respondeat accusativo in liberiorem modum usurpato vel cum praepositione *κατά* coniuncto; hic infinitivus vi aequat latinum supinum in u exiens vel formam gerundivam. Tales infinitivi saepissime sunt infinitivi verborum sentiendi et declarandi velut *ὁρᾶν*, *ἰδεῖν*, *ἀκούειν*, *κλύειν*, *λέγειν* alia.

Primum ea enumeranda erunt exempla, ubi subiectum adiectivi, cui infinitivus activi generis adicitur, apud hunc infinitivum obiecti locum habet. Saepe infinitivus nihil novi affert, sed abundanter usurpatus est et omitti potuit. *ὁρᾶν* hisce adiectivis additur: *δύσμοιρος* OC. 328.**) *ἔχθιστος* Ai. 818. *δεινός* OR. 1267.***) OC. 141. *ἰδεῖν* accedit ad adiectiva *δεινός* OR. 1297. *αἰκισθέν* Ant. 206. *εὐμόρφον* frg. 86,10 (109,10). Deinde *βλέπειν ἀνασχετός* OC. 1652. *προσλεύσσειν ἐφίμερος* OR. 1375. *κλύειν* sese applicat adiectivis *λυπηρός* El. 557 et *δεινός* OC. 141. *ἀκούειν* bis invenitur: apud *μέγα* Ant. 836 (cf. p. 50), apud *ἀθλιώτερος* OR. 1204. *μαθεῖν* Tr. 694 (*ἀξύμβλητον*). Ai. 1046 (*δυσπετής*). *μαθεῖν* et *εἰπεῖν* coniuncta sunt OR. 1234

---

*) Hanc infinitivi vim si accuratius examinaveris facile intelleges eam ex locativo bene derivari posse. Huius infinitivi usus vetustissimus est maximeque apud Homerum viget.

**) Codex Laur. praebet *δύσμορ'*, quod ad metrum non quadrat, Parisinus *δύσμοιρ'*. Buechelerus coniecit *δύσμορφ'*; plurimi editores *δύσμοιρ'* in textum receperunt.

***) Lectio tradita defendi potest: cf. adn. Wolfii.

(*τάχιστος*).*) *εἰπεῖν* solum adiectum est vocibus *σμικρὸς λόγος* OC. 1152. *λέγειν* OC. 1000 (*καλόν*). Alii infinitivi hoc modo adhibiti sunt imprimis *ἔχειν* et *φέρειν*; ille legitur cum *ἡδίων* OR. 592, *ἄλαστα* OC. 538,**) hic cum *ἄλγιστος* OR. 675, uno loco post comparativum et *ἤ* OR. 1293. Praeter hos solitos infinitivos hi commemorandi sunt: *πατεῖν* (*ἁγνόν*) OC. 37. *βόσκειν* (*οἰκτρά*) Ph. 1167. *συντέμνειν* (*βραχύς*) frg. 421,2 (411,2).

Transgredienti ad eos huius modi infinitivos, qui eodem subiecto utuntur atque adiectiva, primo loco commemorandus est infinitivus passivi generis, qui uno tantummodo loco invenitur Ant. 638, ubi legimus *μείζων φέρεσθαι*. Activo genere utuntur haec verba: *μανθάνειν* OR. 545 (*κακός*). *φρονεῖν* OR. 617: *φρονεῖν γὰρ οἱ ταχεῖς οὐκ ἀσφαλεῖς*; infinitivus et cum *ταχεῖς* et cum *ἀσφαλεῖς* coniungendus est. Idem verbum comparativo *σοφώτερος* additur frg. 479, 7 (470,7). *λεύσσειν* Ph. 847 (*εὐδρακής*). *λέγειν* OR. 545 (*δεινός*). *εὑρίσκειν* OR. 440 (*ἄριστος*). *δρᾶν* Ai. 120 (*ἀμείνων*). *λαχεῖν* Ant. 520 (*ἴσος*). Singularis est constructio Ai. 822: *εὐνούστατον* (sc. *τὸν σφαγέα*) *τῷδ' ἀνδρὶ διὰ τάχους θανεῖν*, ubi *κτανεῖν* non sine probabilitate coniecit Morstadtius. Denique his locis ascribo infinitivum *σῴζειν* apud *ἔμπλεον* locum tenentem Tr. 1020:

σοί τε γὰρ ὄμμα
ἔμπλεον ἢ δι' ἐμοῦ σῴζειν,***)

de quo loco cf. Dind. ed. Ox. 3. Scholiasta explicat *σὺ γὰρ νέος εἶ καὶ ὀξύτερόν σοι τὸ ὄμμα πρὸς τὸ σῴζειν τὸν πατέρα μᾶλλον ἢ δι' ἐμοῦ* scil. *σῴζεσθαι αὐτόν*. Ex hac interpretatione infinitivus adiectivo *ἔμπλεον* additus in uno eodemque ordine habendus est atque praemissi. Sed vix credibile est Sophoclem ita scripsisse.

---

*) *βράχιστον* scripsit Lugebilus, quem Nauckius sequitur; defendit *τάχιστος* Dindorfius.

**) *ἄχη* pro inf. *ἔχειν* legi vult Blaydesius; cf. Bellermannum.

***) Heathius *ἦν πλέον* legit, quod recepit Doederlinius scribens *σόν τε γάρ, οἶμαι, ἦ πλέον ἢ δι' ἐμοῦ κτλ.* (Philol. X, 334). Hermannus proposuit: *σοί τε γὰρ ὄμμα ἓν* (*ἔνεστι*) *πλέον ἢ κτλ.*

Pari modo atque apud adiectiva talis infinitivus apud substantiva locum habet, qui usus non raro apud Homerum invenitur, velut *θαῦμα ἰδεῖν*. Apud Sophoclem idem substantivum cum adiectivo *ἀνέλπιστον* coniunctum infinitivum accuratioris definitionis asciscit Tr. 673*) (*μαθεῖν*). Neque desunt exempla, quae doceant, etiam verbis infinitivum sese applicare ad eorum notionem quo pateat accuratius explicandam; ab hoc usu Aeschylus et Euripides videntur abstinuisse, cum neque Karstensius neque Heboldius huius modi exempla proferant. In Sophocleis fabulis duo indagavi verba, quae notionis suae planius explicandae causa infinitivum assumunt, qui altero loco quodammodo abundanter usurpatus est El. 664

πρέπει γὰρ ὡς τύραννος εἰσορᾶν,**)

altero autem loco prorsus non cum abundantia positus est, sed novum aliquid et grave affert, quod ad sensum recte perspiciendum omnino non abesse potest. Legimus OR. 1208:

ᾧ μέγας λιμὴν
αὑτὸς ἤρκεσεν
παιδὶ καὶ πατρὶ
θαλαμηπόλῳ πεσεῖν.***)

2. Ab his infinitivis sunt ii distinguendi, qui apud adiectiva facultatem aliquam vel potestatem significantia locum obtinent et quodammodo obiecti partes suscipiunt; adiectiva huius modi cum copula *εἶναι* coniunguntur respondentque verbis similis significationis ita, ut infinitivus iis adiectus accusativum liberiorem in modum usurpatum vi aequare desistat.

Iam in medium procedat *οἷός τ' εἰμί*, quod copula semper omissa infinitivum hisce locis assumit: OR. 23. 1415.

---

*) Nauckius *θαῦμ' ἀνέλπιστον* abesse et vv. 672. 673 in unum contrahi vult (*ἅπαν τὸ συμβεβηκὸς οἷον ἦ φράσω*).

**) Nauckius affert ad hunc locum Aeschyl. Suppl. 719.

***) Cum hoc exemplo apte comparari possunt duo ex Herodoto petita exempla, quae Heilmannus p. 46 affert, ubi verba, quibus infinitivus accuratioris definitionis additur, eandem fere significationem habent atque hoc Sophocleo loco: VIII. 70 *ἐκχράω* et V. 31 *ἀποχράω*.

OC. 262. 803. *ἄξιος* El. 797. Ai. 400. 924. OR. 763. 769. Ant. 699. Supplendus est infinitivus OR. 931. OC. 929. Passivam formam exspectamus pro activa, quam poeta adhibuit OR. 777.*) OC. 1015. 1152; qua ratione dicendi etiam apud compositum *ἐπάξιος* infinitivum invenimus OC. 461. *ἀνάξιος* (indignus) semel cum infinitivo iungitur OC. 1446. *δίκαιός εἰμι* Ant. 400. His exemplis apte adiungas duos infinitivos participium *πρέπων* sequentes OR. 9. frg. 587, 2 (585,2). Apud *ἕτοιμός εἰμι* infinitivus invenitur Ph. 90. 569. Ant. 264, copula omissa Ai. 813. OR. 92. *πρόχειρος* El. 1494. *ἀδαής* Ph. 1167. *ἄπειρος* OR. 1087; hoc loco infinitivo subiectum (*σε*), quod idem est atque adiectivi *ἄπειρος*, appositum est, praeterea *μὴ οὐ*, cum antecedat *οὐ* apud *ἄπειρος*. *αἴτιος* Ant. 1137. *μεταίτιος* Tr. 1233.

Duo exempla commemoranda sunt, ubi infinitivus ad substantivum cum verbo coniunctum ad eius vim accuratius definiendam accedens obiecti naturam assumit; talem infinitivum inveni Ai. 590, quo loco *εἴμ' ὀφειλέτης* uni verbo respondet, apud quod infinitivus *ἀρκεῖν* obiecti munere fungitur. Simile exemplum reperimus ibid. 1322:

ἐγὼ γὰρ ἀνδρὶ συγγνώμην ἔχω
κλύοντι φλαῦρα συμβαλεῖν ἔπη κακά.

3. Nonnumquam infinitivus locum obiectivi genetivi suscipit: OC. 1178 (*μή μ' ἀνάγκῃ προσβάλῃς τάδ' εἰκάθειν*). El. 466 (*τὸ δίκαιον οὐκ ἔχει λόγον δυοῖν ἐρίζειν, ἀλλ' ἐπισπεύδειν τὸ δρᾶν*).**) OR. 1169:

Θεραπ. πρὸς αὐτῷ γ' εἰμὶ τῷ δεινῷ λέγειν.
Οἰδιπ. κἄγωγ' ἀκούειν.

Interdum denique nobis infinitivo praeponendum est „zu, um zu“ Ai. 816:

εἴ τῳ καὶ λογίζεσθαι σχολή.
Ph. 1034. *αὕτη γὰρ ἦν σοι πρόφασις ἐκβαλεῖν ἐμέ.*
OR. 1050.***) *ὡς ὁ καιρὸς εὑρῆσθαι τάδε.*

---

*) Infinitivum *θαυμάσαι* Nauckius in suspicionem vocat.
**) Cf. adn. Wolffii.
***) Cf. Aeschyl. Cho. 710.

IX. De infinitivo finali sensu usurpato.

Hic infinitivus finem indicat, quem quis sibi proposuit.*) Iam vetustissimis temporibus finalis infinitivus maxime excultus erat latissimeque eius usus apud Homerum valet; apud poetas tragicos et prosae scriptores non ita raro legitur. Frequentissime autem invenitur apud verba dandi et movendi quaeque contrarium designant, ubi in lingua latina gerundium cum praepositione „ad“ consociatum vel gerundivum aut supinum in „um“ desinens aut novum enuntiatum secundarium particula „ut“ vel pronomine relativo cum coniunctivo formatum adhibetur, in nostra autem lingua infinitivus cum „zu“ vel „um zu“ compositus.

Hic finalis infinitivus prorsus non confundendus est cum quibusdam generibus epexegetici infinitivi, quae et ipsa, ut supra demonstrare studui, finalem sensum non uno loco praebent; tamen hoc discrimen intercedere mihi videtur inter has duas species infinitivorum, quod apud finalem infinitivum subiecti, quo verbum regens utitur, consilium omne est hoc, ut id, quod infinitivus indicat, ad effectum perveniat, apud epexegeticum infinitivum tale certum propositum peragi non significatur; finalis igitur infinitivus vi aequat enuntiatum *ἵνα* particula instructum. Heboldius modum transiisse mihi videtur, cum complura exempla huic infinitivorum generi ascripserit, quae me quidem iudice sub infinitivi epexegetici genus cadunt.

Iam vero ut hunc infinitivi apud Sophoclem usum pertractem, ea primum verba in medium procedant, quae „dare“ vel contrarium significant:

Ai. 538. *δός μοι προσειπεῖν αὐτὸν ἐμφανῆ τ' ἰδεῖν.*
Ibid. 781. *πέμπει με σοὶ φέροντα τάσδ' ἐπιστολὰς*
Τεῦκρος φυλάσσειν.

---

*) Ex hac infinitivi significatione ii proficiscuntur, qui infinitivum ex casu dativo effluxisse contendunt; L. Meyeri quoque dissertatio initium capit a significatione finis, ad quam vir doctus omnes infinitivorum species refert, cum demonstrare conatur, omnibus infinitivis notionem finis subesse, quo quis spectet.

Ph. 653. *ὡς λίπω μή τῳ λαβεῖν.*

ἀφαιρεῖσθαι („adimere“) similiter usurpatur ibid. 1302:

τί μ' ἄνδρα πολέμιον
ἐχθρόν τ' ἀφείλου μὴ κτανεῖν τόξοις ἐμοῖς;

His verbis annectam ea, quorum significatio ad motionem aliquam spectat: *μολεῖν* legitur Ai. 921:

ὡς ἀκμαῖος, εἰ βαίη, μόλοι
πεπτῶτ' ἀδελφὸν τόνδε συγκαθαρμόσαι.

ὁρμάω Ant. 133:

νίκην ὁρμῶντ' ἀλαλάξαι.

Sequantur verba contrariae significationis, *μένω* et *ἐπιμένω*:

Ph. 836. *πρὸς τί μενοῦμεν πράσσειν;*
Tr. 1176. *μὴ ἐπιμεῖναι τοὐμὸν ὀξῦναι στόμα.**)

His verbis vicinum est *λοχάω*, quod semel infinitivum finalem regit Ant. 1075 (*λοχῶσιν Ἐρινύες ἐν τοῖσιν αὐτοῖς τοῖσδε ληφθῆναι κακοῖς*). Etiam verbo *εἰμί* uno loco talis infinitivus sese applicat OC. 335:

οἱ δ' αὐθόμαιμοι ποῦ νεανίαι πονεῖν;

Mente supplendum est *εἰσίν* („wo sind die Jünglinge, um sich zu mühen“). Hic non ineptum visum, simile exemplum ex Euripide petitum in comparationem vocare: Or. 1474 (*ποῦ οἱ Φρύγες ἀμύνειν;*), cf. Hebold p. 24.

Saepius in lingua graeca verba mittendi finalem infinitivum assumunt; cuius modi exemplum apud Sophoclem uno loco exstat El. 406:

μήτηρ με πέμπει πατρὶ τυμβεῦσαι χοάς.

Denique quattuor verba proferenda sunt, quorum notio diversa est: *φυλάσσω* Ai. 535:

ἀλλ' οὖν ἐγὼ ἐφύλαξα τοῦτό γ' ἀρκέσαι.

OC. 667. *τοὐμὸν φυλάξει σ' ὄνομα μὴ πάσχειν κακῶς.*

προτίθημι Ant. 216:

νεωτέρῳ τῳ τοῦτο βαστάζειν πρόθες.

ὑπείκω OC. 1184:

*) Cf. adn. Wunderi.
**) Canterus *πονεῖν* mutavit in *τὸ νῦν*, Wakefieldus in *πόνων*.

καὶ νῷν ὕπεικε τὸν κασίγνητον μολεῖν.

ἐπωφελέω OC. 540:

δῶρον, ὃ μήποτ' ἐγὼ ταλακάρδιος
ἐπωφέλησα πόλεος ἐξελέσθαι.

Nauckius nonnullique alii interpretes hunc locum ita interpretantur, ut infinitivo *ἐξελέσθαι* consecutivam vim impertiri velint: *ἐπωφέλησα τὴν πόλιν οὕτως, ὥστε μήποτ' ἐξελέσθαι τοιοῦτόν τι δῶρον* („ich habe es verdient, niemals ein so unheilvolles Geschenk als Dank davonzutragen“). Hermannus ad Vig. et Reisigius similiter explicant hunc locum. Blaydesius scholiastam secutus, qui *ἐπωφέλησα* pro *ὤφελον* dictum esse adnotat, coniecit *ἐκ τᾶσδε πόλεος ὄφελον ἐξελέσθαι κτλ.* Perperam, ut mihi videtur. Multo meliorem et huic loco aptiorem sententiam expedit interpretatio a Doederlinio proposita: *ἐπωφέλησα τὴν πόλιν οὐκ ἐπὶ τούτῳ τῷ δώρῳ* „non ea mente . . . ut talem mercedem acciperem“. Itaque ex hoc quoque infinitivo *ἐξελέσθαι* finalis vis clare elucet.

Ab hoc infinitivi usu facilis est transitus ad infinitivum, qui, ipse quoque finem significans, post particulas *ὥστε* et *ὡς* consecutivas positus est.

X. De infinitivo post particulas *ὥστε* et *ὡς* usurpato.

In harum particularum vim et usum diserte inquisivit Maximilianus Fellmannus dissertatione quam supra laudavi.*) De discrimine quod intercedit inter modorum finitorum et infinitivi post has particulas usum disputat vir doctus § 3. Quomodo particulae *ὡς* usus magis magisque imminutus eiusque loco *ὥστε* paullatim usu recepta sit, p. 21 sq. explicat. Totam autem quaestionem apte ita instituit, ut in priore parte de his particulis in universum ageret, in altera earum apud tragicos poetas vim usumque perlustraret; Sophocleum usum

*) Consecutiva vis initio non in *ὥστε* particula inerat, sed in infinitivo post illam locum habenti, cf. Fellmann § 2. p. 18. Praeterea vide Forssmann „de infinitivi temporum usu Thucydideo“ (Curtius Stud. z. gr. u. lat. Grammatik, VI. p. 51), Delbrueck l. l. p. 33.

pertractat p. 51—69. Quae cum ita sint, supervacaneum et inutile duco, hoc loco iterum de eadem quaestione disserere; hoc unum proferre velim, Fellmannum non satis praedicasse mihi videri, infinitivum ex *ὥστε* pendentem non semel epexegetica vi ornari ut exponat, quale sit nomen praecedens, ad quod spectat, aut quatenus pateat eius notio, quod Wildius accurate explicavit „de particula *ὥστε* commentatio, Goerlitz 1861. Progr“. Ut duo tantummodo exempla e fabula Philoctetae petita commemorem, substantiva infinitivo post *ὥστε* posito apertius explanata invenimus v. 323 (*ἔγκλημα, ὥστε θυμοῦσθαι*). 649 (*φύλλον . . . ὥστε πραΰνειν*). Particula videtur abundare Ph. 656 (*ἆρ' ἔστιν, ὥστε λαβεῖν καὶ βαστάσαι με κτλ.*). 901 (*ἔπεισεν, ὥστε μή μ' ἄγειν ναύτην ἔτι*). OC. 1350 (*δικαιῶν, ὥστε κλύειν λόγους*).

In fragmentis has particulas non inveni, nisi uno loco *ὡς* cum infinitivo coniunctum 57 (59).

XI. De infinitivo post *πρίν* et *πρόσθεν ἤ* locum obtinenti.

De particula *πρίν* et infinitivo post eam posito bene disputavit Heilmannus l. l. p. 50 sqq.; in hac viri docti dissertatione invenies etiam, quid viri grammaticae peritissimi de hoc infinitivi usu sentiant. Itaque satis habeo exempla, ubi apud Sophoclem infinitivus a particula *πρίν* pendet, breviter congerere, praesertim cum de eodem usu egerit O. Prausius dissertatione „de particula *πρίν* usu tragico et Aristophaneo“ (Halis 1877), in qua de Sophocleo infinitivo post *πρίν* posito disserit p. 12 sq.

Viginti uno locis infinitivum post *πρίν* invenimus eumque enuntiato, cui sententia affirmativa subest, praegresso: Ant. 1245. Ph. 370. Tr. 4. 17.*) 632. El. 992. 1133, ubi nudus infinitivus legitur, Ant 120.**) 896. Tr. 396. 1133 (supplendum est *τέθνηκε* ante enuntiatum particula *πρίν* formatum). OR. 104. El. 20.***) frg. 459, 1 (445, 1), ubi acc. c. inf. exstat. Imperativus praecedit aut subsequitur Ant. 280. OC. 36. Tr. 1259,*) quae exempla nudum infinitivum prabent; acc. c. inf. invenitur Tr. 1253. El. 1009. Post negativam sententiam *πρίν* cum nudo infinitivo iungitur Tr. 197. Ai. 1418.

*) Bergkius offendit in hoc versu.

**) *πρίν ποτε* hoc loco cum infinitivo iunctum est, ut Aesch. Suppl. 38.

***) Hunc versum Nauckius spurium esse opinatur.

Denique huc referendus est infinitivus post *πρόσθεν ἤ* usurpatus, cui praegreditur enuntiatum, quod optatum aliquod complectitur, OR. 832, quo loco nudum infinitivum habemus; cf. Eur. Bacch. 1285.

Quod attinet ad tempora infinitivi a *πρίν* suspensi, apud Sophoclem nonnisi infinitivum praesentis et aoristi inveni; inf. aoristi saepius pari modo usurpatus est atque tempus praeteritum ut Ant. 120. 1245. Ph. 1370. Tr. 17. 396. 1133. Ai. 1418.

XII. De infinitivo, qui post *ὅσον* et qui in enuntiato relativo positus est.

Uno loco Sophocles infinitivum post *ὅσον*, cui antecedit *τοσοῦτον*, usurpavit OR. 1188:

τίς γάρ, τίς ἀνὴρ πλέον
τᾶς εὐδαιμονίας φέρει
ἢ τοσοῦτον ὅσον δοκεῖν
καὶ δόξαντ' ἀποκλῖναι.

Cf. de infinitivis cum *ὅσον* coniunctis Krueger Gramm. 55, 3, 5.

Denique commemorandum est, semel infinitivum in enuntiato relativo locum tenere; praemisso *λόγος τις ἔστιν* El. 417 legimus v. 422:

βλαστεῖν βρύοντα θαλλόν, ᾧ κατάσκιον
πᾶσαν γενέσθαι τὴν Μυκηναίων χθόνα.

Interdum enim verbis declarandi aut locutionibus significatione illa aequantibus tanta subicitur vis, ut etiam in enuntiato, quod pendet ex pronomine relativo, infinitivus vel acc. c. inf., ut hoc Electrae loco, usurpetur.

*) Non astipulor Schneidewino, qui infinitivum *ἀνακινῆσαι* intransitive dictum esse et ob eam rem constructionem acc. c. inf. statuendam censet.

Pars altera.

De infinitivo cum articulo coniuncto.

Ut in nostra lingua articulus provectiore demum aetate infinitivo adiungi coeptus est, cum in lingua gothica, ut exemplum afferam, hic usus nobis nondum occurrat, ita apud Graecos infinitivus cum articulo coniunctus in usum vocatus est, postquam sensus originis infinitivi plane delituit. Si sciscitamur, utrum iam Homero articulus ante infinitivum locum habens notus fuerit necne, respiciendus est tantum unus locus Od. *ν*. 52, ubi *τὸ φυλάσσειν* legitur, quo de loco iam saepius disputatum est et recte monitum, *τό* non articulum esse, sed pronomen demonstrativum. Itaque hoc efficitur, Homero usum infinitivi cum articulo coniuncti omnino abiudicandum esse; quamobrem ne praepositiones quidem ante Homericum infinitivum exstant.*) Ex illa autem collocatione infinitivi et pronominis demonstrativi derivandam esse usurpationem articuli infinitivo additi nunc perspicuum est; pronomem enim paullatim demonstrativa notione decessit et magis magisque eam vim assumpsit, quam postea habet. Temporis progressu non modo *τό* infinitivo anteponebatur, sed etiam casus obliqui articuli *τοῦ*, *τῷ*, et iam ab Aeschylo praepositiones infinitivo praefiguntur. Commemoratione etiam hoc dignum videtur, non infinitivum solum articulum assumere, verum locutiones etiam totas, quas hic complectitur.

Quo longius processit tempus, eo latius usus infinitivi cum articulo coniuncti manavit; apud Aeschylum circa quinquagies hunc usum inveniri Karstensius docet, in Sophocleis fabulis centum quindecim, nisi fallor, locos investigavi; et Euripides quoque saepe articulum infinitivo adiecit.

Iam vero si quaerimus, quod discrimen intercedat inter nudum infinitivum et infinitivum articulo instructum, ut concedendum est, non uno loco differentiam parvam esse, ita negari non potest, adiecto articulo infinitivum meri sub-

*) Cf. Herzog „Die Syntax des Infinitivs", neue Jahrb. f. Philol. 1873. 107. p. 17.

stantivi vim adipisci, et id quod complectitur faciem prae se ferre rei alicuius certius quodammodo circumscriptae atque definitae.

Totam de hoc infinitivi usu quaestionem faciendam in duas partes digerere et ita instituere mihi liceat, ut in priore eos absolvam infinitivos, qui proxime ad substantivi naturam accedunt maximeque differunt ab infinitivis nudis, deinde ea exempla afferam, ubi hoc discrimen parvi momenti est.

A. De iis infinitivis articulo instructis, qui substantivi naturam maxime adepti sunt.

Quinque species infinitivorum afferri possunt, ubi infinitivus, cui additus est articulus, luculentissime principalem naturam abiecit assumpsitque substantivi dignitatem. Primum eos locos congeram, quibus infinitivus subiecti partes agens verbum quodlibet pro praedicato sibi adiungit ita, ut substantivum exspectemus.

I. Infinitivus subiecti locum tenet.

Exempla ipsa in medium procedant:

Tr. 92. *καὶ γὰρ ὑστέρῳ τό γ' εὖ*
πράσσειν, ἐπεὶ πύθοιτο, κέρδος ἐμπολᾷ.

Deinde Tr. 458. 590. Ai. 260. Ant. 67. 1170. 1347. OC. 228. Accusativum cum infinitivo habemus Tr. 65:

σὲ πατρὸς οὕτω δαρὸν ἐξενωμένον
τὸ μὴ πυθέσθαι ποῦ 'στιν αἰσχύνην φέρει.

Ibid. 1228. *τὸ γάρ τοι μεγάλα πιστεύσαντ' ἐμοὶ*
σμικροῖς ἀπιστεῖν τὴν πάρος συγχεῖ χάριν,

quo loco subiectum facile subauditur. Sequantur similia exempla, ubi infinitivus obiecti vices tuetur.

II. Infinitivus obiecti munus suscipit.

Hoc loco ii infinitivi enumerandi erunt, qui obiecti vi accepta a verbis suspensi sunt, quae alio loco infinitivum asciscere non solent. Praecipue memorabilis unus locus videtur, ubi infinitivus cum adiectivis arte cohaeret, quibus ipsis quoque substantivi natura attribuitur, OC. 1125:

ἐπεὶ τό γ' εὐσεβὲς
μόνοις παρ' ὑμῖν ηὗρον ἀνθρώπων ἐγὼ
καὶ τοὐπιεικὲς καὶ τὸ μὴ ψευδοστομεῖν.

Alia exempla exstant: ibid. 1617. Ph. 109. Tr. 1243. Duobus locis verbum *φιλεῖν*, quod genuina notione servata ad res dilectas spectat, infinitivum articulo instructum sibi adiungit Ant. 312. 1059. *ἀτιμάζειν* iungitur cum infinitivo Ant. 544:

μή τοι κασιγνήτη μ' ἀτιμάσῃς τὸ μὴ οὐ
θανεῖν τε σὺν σοὶ τὸν θανόντα θ' ἁγνίσαι.

Alteri infinitivo *ἁγνίσαι* articulus non additus est, quia satis est, eum priori (*θανεῖν*) adici.

Semel *τυγχάνω* inveni Ant. 778 (*τεύξεται τὸ μὴ θανεῖν*).

Acc. c. inf. exstat Ph. 299, subiectum subauditur Tr. 1231.

His exemplis annectam infinitivos, qui genetivum et dativum articuli assumpserunt quique a praepositionibus pendent.

III. Casus genetivus articuli praeponitur.

A substantivis genetivus suspensus est hisce locis: OC. 1531. frg. 866, 3; accus. c. inf. legitur Ph. 196. frg. 574, 2 (563, 2) (subiectum supplendum est). Genetivus sequitur comparativum frg. 510, 3 (501, 3). Ab adiectivo pendet genetivus El. 1078 (*τοῦ θανεῖν προμηθής*). Tribus locis verba genetivum regunt: *ἔχεσθαι* frg. 25, 3 (26, 3). 327, 3 (325, 3). *ἐράω* frg. 63 (64). Partitivum genetivum qui vocatur inveni Ai. 476. Epexegeseos instar accedit infinitivus ad genetivum Tr. 57.*)

IV. Articulus ante infinitivum locum habens casu dativo utitur.

Duo tantummodo loci commemorandi sunt, ubi dativus articuli infinitivo praefixus est: Tr. 463 (*εἰ κάρτ' ἐντακείη*

*) Cf. p. 69, adn. 1.

τῷ φιλεῖν) et frg. 665 (701) (*τὸ πρὸς βίαν πίνειν ἴσον πέφυκε τῷ διψῆν βίᾳ*).

Denique nonnullarum praepositionum mentio facienda est, quae infinitivo antecedunt.

V. Infinitivus cum articulo coniunctus ex praepositionibus pendet.

Unam indagavi praepositionem, quae genetivum casum regit, *πρό* Ant. 883 (*πρὸ τοῦ θανεῖν*), unam quoque, quam dativus sequitur, *ἐν* OC. 115. 495.*) 795. Ai. 554. Duae praepositiones cum accusativo casu iunctae inveniuntur *εἰς* et *πρός*; illam inveni bis OC. 1368. 1537, hanc semel Ph. 525.

B. De iis infinitivis cum articulo coniunctis, qui nihil fere differunt a nudis infinitivis.

Ut perspici possit, quam parvi momenti saepe discrimen sit inter additum articulum et omissum, primum eos congeram locos, ubi in uno eodemque enuntiato et infinitivus nudus et infinitivus articulo instructus inveniuntur ita ut ille praecedat, hic subsequatur.

I. Infinitivi, quibus adiungitur articulus, et inf. sine articulo positi arte cohaerentes in uno eodemque enuntiato leguntur.

Pro subiecto usurpantur infinitivi duobus locis El. 265**) (*ἐκ τῶνδέ μοι λαβεῖν θ' ὁμοίως καὶ τὸ τητᾶσθαι πέλει*). OC. 1224 sqq. (*μὴ φῦναι νικᾷ λόγον, τὸ δὲ βῆναι . . . πολὺ δεύτερον*), pro obiecto frg. 240 (238) (*φιλεῖ ὁ νοῦς ἁμαρτεῖν καὶ τὸ βουλεύειν*), epexegetice frg. 154, 9 (162, 9) (*τοὺς ἐρῶντας αὐτὸς ἵμερος δρᾶν καὶ τὸ μὴ δρᾶν προσίεται*).

Aggrediamur nunc ad perquirenda ea infinitivi genera, quae communia sunt infinitivis quibus additur articulus et nudis infinitivis.

*) Cf. adn. Bellermanni; pro *λείπομαι γὰρ ἐν τῷ μὴ δύνασθαι κτλ.* Nauckius *λειπόμεσθα γὰρ κτλ.* legi vult, Dindorfius pro *μὴ δύνασθαι . . μήτε σωκεῖν.*

**) Cf. p. 38, adn. 1.

II. Infinitivus, cui adiectus est articulus, subiecti partes suscipit ita, ut pro praedicato vocem aliquam impersonaliter usurpatam sibi asciscat.

1. Praedicati munere funguntur verba impersonalia vel passivi generis.

Omnia exempla accusativos c. inf. praebent: Ph. 963 (*ἐν σοὶ καὶ τὸ πλεῖν ἡμᾶς . . . ἐστί κτλ.*). OR. 598 (*τὸ τυχεῖν αὐτοὺς ἅπαν ἐνταῦθ' ἔνι*). Ibid. 1232 (*λείπειν μὲν οὐδ' ἃ πρόσθεν εἴδομεν τὸ μὴ οὐ βαρύστον' εἶναι*). Ant. 27 (*ἐκκεκηρῦχθαι τὸ μὴ τάφῳ καλύψαι μηδὲ κωκῦσαί τινα κτλ.*).

2. Praedicati vices tuetur substantivum abstractae significationis.

τέρψις Ai. 114. *βόσκημα* El. 363. *ἥδιστον γέρας* frg. 64, 1 (65, 1).*) Duobus locis infinitivus accedit ad casum genetivum, ubi *ἔργον ἐστίν* mente supplendum est: Tr. 435. El. 1054. Omnibus his locis infinitivus sine acc. subiecti legitur.

3. Praedicati locum obtinent adiectiva vel pronomina neutrius generis.

Haec adiectiva eodem ordine proferam, quo in priore parte p. 49 sqq. usus sum. *καλόν* Ant. 723. *κάλλιστον* frg. 328, 1 (326, 1). *κρεῖσσον* frg. 445 (436). *λῷστον* frg. 328, 2 (326, 2). *ἥδιστον* OC. 434. Ant. 437 (acc. c. inf.). 1031. *γλυκύ* OR. 1390. OC. 769. *αἰσχρόν* Ant. 710. 711. OC. 1422 (acc. c. inf.). *κακόν* Tr. 1230. El. 1337.**) frg. 77 (100). *δεινόν* Tr. 459. Ant. 1096. El. 770. *ἀποκαίριον* Ph. 154. *κοινόν* Ant. 1024. *ἴσον* (*πέφυκε*) frg. 665 (701). *λυτήριον* frg. 687 (697). Adiectivum verbale *ἐξισωτέον* exstat OR. 408. Semel pronomen *οἷον* inveni OR. 624.

*) Versum quem post Ai. v. 554 codices Sophoclis praebent, sed Stobaeus omittit *τὸ μὴ φρονεῖν γὰρ κάρτ' αἰώδυνον κακόν* non esse genuinum nunc omnes consentiunt.

**) Nauckius delet hunc locum.

4. Praedicati munus sustinet adverbium cum copula *ἐστίν* coniunctum.

Una tantummodo locutio occurrit nobis cum infinitivo *χωρίς ἐστιν* OC. 808: *χωρὶς τότ' εἰπεῖν πολλὰ καὶ καίρια.* Eandem phrasin Euripides semel usurpavit Alc. 528, cf. Aesch. Prom. 927.

Sequantur infinitivi, qui obiecti munere suscepto a verbis pendent, quibus omnino infinitivus sese applicare solet.

III. Infinitivus obiecti locum tenet.

Quattuor genera verborum investigavi, quae infinitivum articulo instructum assumunt:

1. verba, quae significant „posse“ vel „discere“.

δύναμαι Tr. 545. *διδάσκω* Ant. 1353. *μανθάνω* Ai. 555.

2. verba incitandi et studendi.

ἐφορμάω Ai. 1143.*) *ἐπεντέλλω*, quod ex versu praecedenti facile suppletur, Ant. 219. *παραινέω* Ph. 620. *πείθομαι* ibid. 1252.**) *ἐπισπεύδειν* El. 467. *νοέω* Ant. 668.***)

3. verba iurandi.

Hoc loco nonnisi unum verbum commemorandum est *ὁρκωμοτεῖν* Ant. 266 (*θεοὺς ὁρκωμοτεῖν τὸ μήτε δρᾶσαι μήτε τῳ ξυνειδέναι*). Alterum verbum iurandi *ἐξόμνυμι*, quod cum infinitivo articulo instructo invenitur verbis sequentibus annumerandum est.

4. verba negativum aliquem sensum continentia.†)

Saepe infinitivo ex his verbis pendenti *μή* appositum invenimus aut *μὴ οὐ*, si verbo regenti negatio sese applicat, quod inter uncos adnotabo: *ἀρνεῖσθαι* („recuso“) Ph. 118. Verbum *φεύγω* supplendum est frg. 142, 3 (152, 3) (*μή*), item

*) *ἐφορμάω* hoc loco duplicem accusativum sibi adiungit, cf. Krueger Gr. 46, 15.

**) Wunderus, Blaydesius, Nauckius hunc versum abesse malunt.

***) Articulum recte defendit Nauckius in appendice.

†) Cf. Krueger Sprachl. II. 50, 6, 6.

compositum *ἀποφεύγω* OC. 1740 (*μή*).*) Ad horum verborum notionem proxime accedit *οὐκ ἐθέλω* OC. 442. *ἀνέχομαι* aut *ἔχομαι* OR. 1387 (*μή*).**) *παρίημι* ibid. 283 (*μὴ οὐ* praecedente *μὴ παρῇς*). Sequantur verba prohibendi et impediendi: *ἐπέχω* Ph. 881. *κωλύω* ibid. 1241. *ἀρκέω* Ai. 727 (*μή οὐ*). Huc adde *ἐξόμνυμι* Ant. 535 (*μή*) et *ἀπαρνέομαι*, apud quod infinitivus duobus locis subaudiendus est Ant. 443 (*φημὶ δρᾶσαι κοὐκ ἀπαρνοῦμαι τὸ μή*. Ai. 96. (*οὐκ ἀπαρνοῦμαι τὸ μή* scl. *βάψαι*).

Iam proferantur alia infinitivorum genera, quae communia sunt infinitivis sine articulo et cum articulo positis.

IV. Infinitivus accuratioris definitionis.

Uno loco infinitivus articulo instructus apud adiectivum locum habet et respondet accusativo graeco qui dicitur liberiorem in modum usurpato vel accus. cum *κατά* praepositione coniuncto El. 1030:***)

μακρὸς τὸ κρῖναι ταῦτα χὡ λοιπὸς χρόνος.

Bis quodammodo obiecti munus suscipit apud adiectiva cum verbo aliquo coniuncta Ant. 79 (*τὸ δὲ βίᾳ πολιτῶν δρᾶν ἔφυν ἀμήχανος*. El. 1079 (*τὸ μὴ βλέπειν ἑτοίμα*).

V. Infinitivus epexegetica vi instruitur.

Ad subiectum infinitivus epexegeseos instar accedit uno loco OC. 47 (*ἀλλ' οὐδ' ἐμοί τοι τοὐξανιστάναι πόλεως δίχ' ἔστι θάρσος*), ad casum genetivum Ant. 235:

τῆς ἐλπίδος γὰρ ἔρχομαι δεδραγμένος,
τὸ μὴ παθεῖν ἂν ἄλλο πλὴν τὸ μόρσιμον,

ad totum enuntiatum consecutivam vim induens Tr. 616:

ἀλλ' ἕρπε, καὶ φύλασσε πρῶτα μὲν νόμον
τὸ μὴ ἐπιθυμεῖν πομπὸς ὢν περισσὰ δρᾶν.

---

*) Ant. 263 pro vitiosa codicum scriptura *ἀλλ' ἔφευγε τὸ μὴ εἰδέναι* Porsonus coniecit *ἀλλ' ἔφυγε τὸ μὴ εἰδέναι*: sed quin locus alio modo sanandus sit, dubitari nequit.

**) Codex Laurentianus praebet *ἀνεσχόμην*, libri deteriores partim *ἠνεσχόμην*, partim *ἂν ἐσχόμην*. Illud recepit Hermannus, hoc Dindorfius et Nauckius.

***) Cf. explicationem Wolffii.

El. 1470. *οὐκ ἐμὸν τόδ' ἀλλὰ σόν,*
τὸ ταῦθ' ὁρᾶν τε καὶ προσηγορεῖν φίλως.

Verbis infinitivus epexegeticus sese applicat cum consecutiva vi Tr. 612:

οὔτι μὴ σφαλῶ γ' ἐν σοί ποτε,
τὸ μὴ οὐ τόδ' ἄγγος ὡς ἔχει δεῖξαι φέρων,
λόγων τε πίστιν ὧν ἔχεις ἐφαρμόσαι.

OR. 1424. *πάρεσθ' ὅδε*
Κρέων τὸ πράσσειν καὶ τὸ βουλεύειν.

Ant. 1105. *καρδίας ἐξίσταμαι τὸ δρᾶν.*

VI. Infinitivus finali sensu usurpatur.

Eodem modo, quo nudus infinitivus post *λείπω* et composita finali sensu ponitur, infinitivus cum articulo coniunctus uno loco post *ἐλλείπω* finalem vim assumit.

Tr. 90. *οὐδὲν ἐλλείψω τὸ μὴ οὐ*
πᾶσαν πυθέσθαι τῶνδ' ἀλήθειαν πέρι.

VII. Infinitivus exclamationem complectitur.

Ut supra dixi (cf. p. 22), semel infinitivo exclamativo articulus praepositus est Ph. 234:

φεῦ τὸ μὴ λαβεῖν
πρόσφθεγμα τοιοῦδ' ἀνδρὸς ἐν χρόνῳ μακρῷ.



Vita.

Natus sum, Alfredus Krah, Insterburgi Borussorum orientalium h. s. a. LXIII a. d. III. Sept. patre Eduardo, matre Augusta e gente Krah, quos adhuc superstites magnopere gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Sex annos natus ad prima literarum elementa discenda scholae publicae cum gymnasio consociatae traditus sum, ubi eae disciplinae coluntur, quibus pueri ad literas in gymnasio tractandas informantur. Anno octavo exacto in gymnasii Insterburgensis ordinem receptus sum, cui pater meus praeerat. Auctumnali tempore h. s. a. LXXXII maturitatis testimonio accepto in universitatem literarum Berolinensem cum me contulissem, ut in studia philologica incumberem, per tria semestria audivi professores clarissimos: Curtius, Deussen, Huebner, Kirchhoff, Maercker, Mommsen, Paulsen, Vahlen. Inde ad universitatem Tubingensem profectus per unam aestatem frequentavi scholas vv. ill.: Gutschmid, Herzog, Rohde, Schwabe, simulque interfui exercitationibus seminarii, cuius moderator erat v. ill. Schwabe. Ad studia mea continuenda atque absolvenda Halas commigravi, ubi per quinquies sex menses commoratum docuerunt me vv. dd.: Dittenberger, Haym, Hertzberg, Heydemann, Hiller, Keil, Suchier. Praeterea philologici seminarii, cui praeerant praeceptores humanissimi Dittenberger, Hiller, Keil, sodalis fui.

His omnibus quos nominavi viris optime de me meritis, imprimis proff. Hiller et Keil, qui in conficienda dissertatione plurimum benignitatis in me contulerunt consilioque liberali me adiuverunt, ex intimo animo nunc gratias ago quam maximas semperque gratiam habebo memoriam.

